Jus

DECRETA SANCTIONES

Et Universa Acta

SYNODI DIOECESANÆ

Erectarum Ab Camaldulensium

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, ac REVERENDISSIMO DOMINO

D. CONSTANTINO CASIMIRO

BRZOSTOWSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO VILNENSI.

Sanctissimi Domini Nostri, D. CLEMENTIS Divinâ Providentiâ PAPÆ ejus Nominis XI. Prælato Domestico, & Pontificij Solij Assistente

Anno Salutis MDCCXVII. Sub diebus 3tia, 4ta, & 5ta, Mensis Februarij, in sua Cathedrali, Ecclesia Vilnæ.

CELEBRATÆ

Et per me ALEXANDRUM JOANNEM ZEBROWSKI S. Theol: & J. U. Doctorem, Archidiaconum Albæ Russiæ Præsentis Synodi Secretarium

CONNOTATA.

VILNÆ Typis Academicis Societatis IESV.

Insulae Vigrensis

In STEMMA
ILLUSTRISSIMI ac REVERENDISSIMI
DOMINI.



PASTOR *cum* SYNODO *quas firmat* STAPEDE *leges*
Est NODVS *cuncti fortior ense mali.*

AD
ILLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSIMUM ac REVERENDISSIMUM DOMINUM D. CLEMENTISSIMUM.

Oratio Dedicatoria.

AD Te ſuum Fontem, à quo nuper ſuavi promanârunt ſcaturigine, ſuperatis typographici præli anguſtijs, redeunt auguſta Synodalium ſanctionum fluenta, ut Pontificiæ crucis ſignata benedictione, uberiori alveo, in totius Tuæ Diœceſeos, imò orbis univerſi fluant utilitatem ILLVSTRISSIME ANTISTES. Sat diu quidem fer-

rea durante ætate, in Caucaſum pene durata malevolorum pectora, inacceſſibilem coacervata in montem, diſcordium mentium & armorum pondera, in funeſtos colles, ferales peſtilentiæ collecti cineres, ſexcentaq; alia adverſitatum genera, marmoream induta cruditatem, ſuos intra ſinus, ſanctiores hoſce premebant rivos, quos nunc avitus Tuus elicuit STAPES, ac velut AGNI CLEMENTINI, quia inter fortunata CLEMENTIS XI. univerſam hodie gubernantis Eccleſiam, imperia, Tuō Digniſſimi noſtri Pontificis, pede, durior feliciter calcata Tellus, non jam ſeptem, ut olim Nilus in Ægyptum, ſed tot in Tuum, à Te profuſos Clerum tulit torrentibus, quot ſanctas Sanctus Pontifex tuliſti leges, quot opportunas ſanxiſti Conſtitutiones, quot maturæ deliberationis publicâſti decreta, quot benè vivendi regulas præſcripſiſti, explendo illud ſapientis conſilium: Deriventur fontes Tui foras, & in plateis, aquas tuas divide. *Prov: 5. ℣. 16. Effudiſti in nos Synodaliter collectos Diviniores vitæ Tuæ ac Eloquij fontes,* quaſi imber ſuper herbas, & quaſi ſtilla ſuper gramina, *quibus in meliorem aleremur vitam, atq; ſic cælitus planè refecti, in majora virtutum, ad DEI & Eccleſiæ gloriam, ſurgeremus incrementa. Invaleſcente namq; vitiorum æſtu, jam vivida cæperat probitas areſcere, audita petijſſe cœlos, terris Aſtræa relictis, langveſcens in plateis corruiſſe veritas dicebatur, plaudebatq; iniquitas*

ſibi

sibi, cùm Te versatum in laboribus & ærumnis, in vigilijs multis, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus *confectum crederet, Tuaq́ inter discrimina, grandia sibi incrementa promittebat: verùm insigniter* mentita est iniquitas sibi, *delusa impietatis omina, cùm superatis tot insultibus invictus CONSTANTINVS, hac etiam in ætate, in qua plures corpore & animo deficiunt, ad oculum Sarmatico demonstrâsti Orbi, quid Pastorales Tui valeant humeri; quibus Divinior Hercules, tot superbas hæresum hydras, & innumera vitiorum monstra profligâsti, fractâq́ non semel ferocientis in Tuas Oves orci potentiâ, victor vel ipsis inferis dedisti leges, cùm subjecto Tibi Vniverso Clero Populoq́, tum editis decretis, tum vel maximè sanctioris vitæ exemplis, omnigenam probitatem imperâsti: ut verò unita virtus esset fortior, Synodali vinculo, unito scilicet cum Tuis operarijs fœdere & labore, Iustitiam & Pacem, veritatem & pietatem in unum hoc opus collegisti, quæve per universum Tuum Diœceseos Vilnensis regimen, annis triginta protractum (& utinam diutissimè protrahendum) gloriosissimè sanxisti, huc in unum compendium redegisti: ac per hoc ipsum,* quod infirmum fuit consolidâsti, quod ægrotum sanâsti, quod confractum alligâsti, quod abjectum reduxisti. *Ezech: 35. Ipse vi-*

va omnium rectè factorum & faciendorum Idea, primumq; vitæ exemplaris exemplar, primum eximiæ probitatis Prototypon, primum propagatæ per Tuos subditos sanctimoniæ fundamentum: ac ut aptè ad inchoatam loquar allegoriam, Fons primus, in tot sanctioris vitæ profusus flumina. Et hinc est, quòd in his etiam Sancitis Tuis, svave Nobis Tuum proponas jugum, & onus leve; utpote, quod ipse ab adolescentia Tua portare didicisti, Tuosq; tollere docuisti, ut proinde dicere cogamur, quòd præcepta Tua sint Lex gratiæ, lex sapientis, Fons vitæ. *Proverb.* 13. *Quem in Te, simul & in his pauculis Tuis utiq; contemplare pagellis; quas ego cum omni submissione Pastoralibus substerno Plantis.*

Illustrissimæ, Excellentissimæ, ac
Reverendissimæ Dominationis
Vestræ
Devotissimus Servus

Et Humillimus Cliens
ALEXANDER ZEBROWSKI
Sac: Th: & J. U. Doctor, Archidiaconus Albæ Rusiæ,
Synodi Secretarius.

Ad Le-

Ad Lectorem.

NOn mireris Amice Lector, quod Synodalibus Sancitis & affertis, infero Acta Illustrissimi Antistitis, plus enim ponderis habent præclarè gesta, quam gloriosè dicta, magisq; exempla movent Facientis, quàm verba Docentis. Quod tamen utrumq; pari junctum excellentiâ in Illustrissimo Nostro experiris Præsule. Multi sanè magna legum compilârunt volumina, satisq; insignes benè vivendi tradiderunt regulas, quia tamen ad earum normam, suas non regulârunt actiones, nec à se digestam, gestis comprobârunt doctrinam, hinc *perijt cum sonitu memoria eorum.* Ille Legislator, Evangelico magnus argumento, qui suis Legum sancitis connectit acta, qualem vel ex parvo hoc opere, disces esse Nostrum Pontificem Illustrissimum. Quanquam & Acta hæc, Synodalibus præinserta statutis, lex sunt & Canonicæ sanctiones; utpotè, quæ mirâ symmetriâ, pulchram Sacrorum Rituum repræsentant varietatem, non proprio elaboratam ingenio, sed operosâ optimi Præsulis industriâ, labore, experientiâ, & sedulitate comparatam: lex inquam sunt & regulæ; tum quia multos secururo regulabunt ævo, in re passim non obvia, ritè, gnaviter, & exactè expedienda, tùm quia ipsa fundantur in Jure, probatis & approbatis Authoribus. Quæ Acta pro majore legentium utilitate, in Capita & Paragraphos distincta, antequam legere incipias, Theoricam Synodi notitiam primò perscrutari non graveris. Synodus porrò vox Græca, latinè Congregationem seu cætum designat. *Cap*: 1. §. *Synodus dist*: 15. Originem habet ab Apostolis, non modò *Generalis Act*: 15. sed etiam *Diœcesana Act*: 20. ℣. 18. ubi in causa Pauli, D. Jacobus Episcopus Hierosolymitanus collegit Seniores, id est Presbyteros *Gav*: & hæc definitur communiter esse: *Congregatio legitima totius Cleri Diœcesani, ab Episcopo Diœcesano, in ordine ad tractanda ea, quæ curæ Pastorali incumbunt, ritu & Cæremoniâ ab Ecclesia præscriptis.* Ejus celebrationem quotannis faciendam rigidè præcipit Jus commune, constituens pænas in omittentes. *Cap*: *sicut*. 25. *de accusat*. innovat *Concil: Trid*: *Sess*: 24. *Cap*: 2. *de reform*: aiuntq; Patres S. Concilij Trid: *apud Gav*: *cap*: 2. § 1. *n*. 6 *h. tit*. esse hujusmodi celebrationem de præcepto, nisi justa causa excuset, quæ in Nostra Patria tamdiu perdurabat, quamdiu metum incutiebat hostili-

cas. Ad eam venire tenentur non tantùm Sacerdotes, beneficia curata, & simplicia habentes, sive sint Sæculares, sive Regulares exempti, sed etiam Abbates, Collegiatæ, Capitulum & Canonici; qui si recusent interesse, cogi possunt per censuras. *S. Congregat: in Oriolen: in R sp. ad 19. dub: apud Barbosam in collect: coll.* 694. N. 9. Absentes subjacent pænæ arbitrariæ Ordinariorum Loci, imò censuris obnoxij *Bottheus*: sed communiùs afficiuntur mulctâ quatuor aureorum, pijs locis applicandorum, *Gav*: nisi sint legitimè impediti, & eo casu debent mittere Procuratores, cum debita, de statu Ecclesiæ suæ informatione. In ijs Synodaticum seu Cathedraticum, jure Diœcesano, debetur Episcopo, idq, in signum subjectionis, & honorem Cathedræ. *Gl. in Cap: Pastoralis de donat. Abb: ibid*: N. 7. *Henr. Bottheus apud. Piasec: in praxi Episcopali parte secunda. cap.* 2. *a.* 2. N. 13. In ijs Episcopus cum Consilio Capituli (quod tamen sequi non tenetur) fert decreta & Constitutiones, quæ obligant tam Clericos, quàm Laicos, existentes intra limites suæ Diœcesis, *uti deducit Massobrius de Synod: cap:* 4. *dub:* 77. *& seq. apud Gav: ubi supra.* Et hæc est Theorica & methodica Synodi Diœcesanæ notitia; nunc, si exactam ejus expediendæ requiris praxim, sequentia patienter revolve folia, & compos voti fies. Vale.

Eremi Camaldulensium ... Eremi ... Vigrensis

PARS

)(o)(

INDEX SYNOPTICUS

Summulam totius hujus Opusculi complectens.

PRÆFATIUNCULA Ad LECTOREM

Continet Synodi vocabulum seu nomen, definitionem, divisionem, ad eam veniendi necessitatem, Synodaticum, constitutionum Synodalium obligationem.

PARS PRIMA.

De Actis Synodum antecedentibus.

CAPUT 1mum. Complectitur Synodi indictionem prævia Decanorum convocatione, *numero* 1. Edictum Convocationis *numero* 2. Prorogationem termini *numero* 3. Publicationem ex suggestu in Festo Epiphaniæ *numero* 4. Recommendationem Eiusdem Suffragijs Cleri & orationibus Populi ac enuntiationem in Ecclesia Cathedr. per hebdomadam á *numero* 7.

CAPUT 2dum. tractat de Officijs Principalibus uti Promotoris *numero* 10 Secretarij *numero* 11. Notarij 13.

CAPUT 3tium. de Scrutatoribus & Tabella Scrutinij à *numero* 14. de Iudicibus querelarum 18. de Procuratore Cleri 21. de Magistris Cæremoniarum 24. de Ostiarijs & Præfectis hospitiorum 25 26. de Oeconomo 27.

CAPUT 4tum. refert Instructionem Cleri de methodo Synodali à *numero* 9. pag. 22. Ordinem Processionum ante & post Synodum à *numero* 31. fol. 25. ea, quæ agebantur pridie Synodi. *numero* 37.

PARS SECUNDA.

De ordine Sessionum Synodalium.

SESSIO 1ma ostendit Ritum & praxim inchoatæ Synodi à *numero* 42. pag. 29. Decreta Præliminaria à numero 49. Officialium publicationem à *numero* 53. Instantiam Promotoris contra Absentes & Rogitum Notarij *numero* 57. 58. Continuationem eiusdem Sessionis à prandijs *numero* 60. Decreta de Clero vocando, Synodatico solvendo

 numero

numero 63. Scrutinio peragendo *numero*, 64. de Officio mörtuorum 72. capita orationis à *numero* 74.

SESSIO 2da præmiſſo officio mortuorum & proceſſione pro Defunctis inchoata *numero* 82. In ea, inſtante Promotore promulgati Iudices Synodales *numero* 86. Examinatores *numero* 88. Teſtes *numero* 89. Teſtium Synodalium ſeu Decanorum iuramentum. *numero* 91. Lectio decretorum Conc: Trident de reſidentia & aliorum à *numero* 92. Continuatio Seſſionis 2dæ à *numero* 94. Capita orationis ànumero 87. Conferentia cum Præfectis Scrutinij *numero* 98.

SESSIO 3tia Poſt Miſſam de SS. Trinitate inchoata ad inſtar priorum *numero* 100. In ea publicatæ Conſtitutiones Synodales. Audita deſideria Cleri per eorum Procurators *numero* 102. à Prandijs completa reliquorum Decanatuum vocatio. Procuratoribus data reſolutio. Synodus mediantibus decretis concluſa. Illuſtriſſimus Epiſcopus proceſſionaliter reductus ad Palatium.

PARS TERTIA.

Decreta & conſtitutiones Synodales complectitur.

Ad Eius initium Epiſtola Paſtoralis, modus & ordo boni regiminis Nicolai Pac, & decreta Synodi ab Alexandro Kotowicz celebratæ reaſſumuntur á *numero* 113.

CAPUT 1mum. mandat Congregationes Decanales bis in Anno inſtitui, præſcribendo earum modum, praxim & materiam, quæ tractari debet à *numero* 116.

CAPUT 2dum. in §. 1mo. Prohibet extra Eccleſias baptiſmum adminiſtrari, matrimonia celebrari, exactiones temporalium ab adminiſtratione Sacramentorum, â Loco Sepulturæ, ab introductionibus neò-nuptarum fieri pag. 60.

In §. 2do. adhortatur Parochos ad Infirmorum curam, cum informatione ferendi viaticum ad Illos *numero* 122.

In §. 3tio præſcribit Confeſſarijs modum audiendi Fidelium confeſſiones, præmiſsâ priùs inſtructione in principijs fidei à numero 124.

In §. 4to. determinat tempus Communionis Paſchalis à Dominica Lætare ad ſex Septimanus.

In §. 5to. in quibuſdam Ordinándos præcavet *numero* 128.

CAPUT 3tium. Obligat Curatos ad conciones in Eccleſijs ſuis inſtitu-

ſtituendas, ad librorum in eum finem neceſſariorum conſervationem; concedendo etiam ex libro Parochianorum inſtructionem paginâ *63*.

CAPUT 4tum. ſeverè præcipit ſub excommunicationis pæna, quatenus Curati doctrinam Chriſtianam diſſeminent *numero* 131.

CAPUT 5tum. Obligat Eccleſiarum Rectores, nè Officia Divina à S. Eccleſia præſcripta intermittant, & ut libros ad eum effectum neceſſarios conſervent à *numero* 134.

CAPUT 6tum. mandat Eccleſiarum vetuſtate collabentium intra triennium reſtaurationem, non Parochis ſolùm, ſed etiam Patronis, ſub iuris Patronatûs amiſſione, cum inhibitione, nè in jis comitiola peragi permittantur *paginâ* 67.

CAPUT 7mum. Quilibet Parochus habeat Catalogum ſuorum Parochianorum, & ſtatum Animarum ſibi Commiſſarum noſcat numero 140.

CAPUT 8vum. declarat medium ad diſlimitationem Parochiarum *numero* 141.

CAPUT 9num prohibet bonorum ad Eccleſias pertinentium arendationem & oppignorationem *numero* 142.

CAPUT 10mum. interdicit Parochis in prædijs diſtantibus ab Eccleſia reſidentiam, & miniſteriorum ſæcularium ſuſceptionem *numero* 143. & ſeq.

CAPUT 11mum. Beneficiorum incompatibilium retentionem prohibet *numero* 145. niſi alicui Suffragetur S. Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio.

CAPUT 12mum. Proviſores ad ſolvendos ducentos florenos cum victu ſuis Prouiſis, Proviſos ad recitandas duas Miſſas præter alia conſueta obſequia obligat *numero* 147.

CAPUT 13tium. tollit pacta Clericorum ſe invicem percutientium *numero* 149.

CAPUT 14tum. Regulares præmonet, nè Perſonas ſæculares ad eligendam apud ſe ſepulturam inducant, ſed id Eorum arbitrio relinquant *numero* 150.

CAPUT 15tum mandat univerſo Clero, ut non modô ab actionibus externis, Eorum vitam infamantibus, abſtineant, & librorum lectioni, coſcientiæ diſcuſſioni, caſuum reſolutioni incumbant; verùm, ut etiam tam exercitia Spiritualia, ſaltem quolibet biennio abſolvant; quâm veſtitu decente & honeſto incedant, baculos ferro fartos, & annulos

 porta-

portare; nisi quibus. per dignitatem convenit, minimè præsumant á *numero* 151. pag. 72.

CAPUT 16tum. Ieiuniorum quidem ab Ecclesiâ præscriptorum observantiam præcipit, nè tamen aliqua exotica & superstitionem redolentia instituantur, interdicit, à *numero* 157.

CAPUT 17mum. constituit Censores librorum, & Bibliothecarum revisores *numero* 160.

CAPUT 18vum. Archivium ordinatissimè custodiri præcipit, & pro eius revisione Commissarios designat. *numero* 161.

CAPUT 19num. Commissarios ad Seminarium Cleri determinat *numero* 162.

CAPUT 20mum pro Officio B. Michaelis Giedroyć declarat Romam supplicationem *numero* 163

CAPUT 21mum. interdicit ædificationem Fanorum Synagogarum, Moschæarum, & publicam cadaverum deductionem Hæreticis & Infidelibus. *numero* 164.

CAPUT 22dum. Inculcat mâgis doctrinam in Epistola Pastorali de sagis & Maleficis expressiùs traditam. *numero* 166.

CAPUT 23tium. Taxam Fori Iudicialis declarat numero 168.

CAPUT 24tum. Casus Episcopis reservatos demonstrat. pag 81.

CAPUT 25tum. refert propositiones prohibitas, qvas sequi non licet pag. 82.

CAPUT 26tum. explicat impedimenta dirimentia matrimonium à *numero* 172. pag. 86

CAPUT 27mum. Praxim publicandi Bullam Cænæ Domini exhibet *numero* 173.

CAPUT 28vum. Praxim expediendæ Inquisitionis & Testium examinis describit à *numero* 174. pag. 94.

CAPUT 29num. mandat observationem constitutionum Synodalium.

Sequuntur Sermones in Synodo habiti à folio 104. ad folium 133.

ORDO Ecclesiarum & Catalogus universi Cleri Diæcesis huius à pagina 135. ad finem.

)(o)(

PARS PRIMA
Acta Synodum antecedentia complectens.

CAPUT Imum.
De Synodi Indictione.

1. POst expeditam tum perse, tum per designatos Visitatores, totius ferè suæ Diœceseos ILLUSTRISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS, ac REVERENDISSIMUS DOMINUS LOCI-ORDINARIUS Vilnensis præcedentibus annis Visitationem, tandem anno immediatè elapso 1716. die 8*va* Maij, facta convocatione Archi-presbyterorum, seu Decanorum, adhibitisq; tum ex Venerabili Capitulo, tum ex Theologiæ, ac Sacrorum Canonum Doctoribus, gravibus, & prudentibus Viris, de eorum consilio, indixit Synodum Diœcesanam, per sequens in tenore seqenti.

2. Edictum convocationis Diœcesanæ Synodi.

CONSTANTINUS CASIMIRUS BRZOSTOWSKI

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Vilnenſis, Sanctiſſimi Domini N. D. CLEMENTIS D. P. PAPÆ XI. Prælatus Domeſticus, & Pontificij Solij Aſſiſtens.

Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis Epiſcopis, Suffraganeis, Perilluſtribus Prælatis, Canonicis, totiq; Almo Capitulo, Fratribus Noſtris: Cancellario Diœceſano, Archidiacono Albæ Ruſſiæ, Venerabili Univerſo Clero, tam intra quâm extra Vilnam, videlicet Abbatibus, Præpoſitis, Decanis Foraneis, Parochis, Commendarijs, Vicarijs, Altariſtis, ac Religioſis curam animarum adminiſtrantibus, cæteriſq; quibuſvis Diœceſis noſtræ Vilnenſis Presbyteris, Manſionarijs, quomodocunq; Beneficiatis, Salutem, & Paſtoralem Benedictionem.

SI beata uſquequaque, & nullis omninò impedimentis, nec viarum commeatûsq; difficultatibus ſolicita tempora expectanda forent, eveniſſet forſitan, ut rerum humanarum, in deterius prolabentium ſemper conditione ita exigente, ſynodum tam diſtrictè Canonibus Sacris præſcriptam, tam

tam impensè Sanctorum Patrum exemplis commendatam, nunquam celebrare nobis liceret. Quando enim, aut consvetæ de anno in annum molestiæ, à proposito Nos non retardant? aut emergentes continuò novæ difficultates non absterrent? Verùm omnibus illis vehementius oraculum Spiritûs S. Eccl: 11. v. 4. *Qui observat ventum non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet*, acriores Pastorali nostræ solicitudini stimulos admovet, quàm ut deinceps non sentiri possint, aut retundi. Certè dum Sanctissimos Pontifices Romanos, circumfremente gentilium Tyrannorum rabie, & undiq; fervente persecutionis æstu, nihilominus alios in cryptas, & cavernas terræ, alios in maris exilijq; sui avias, & inaccessas insulas Synodos convocâsse, mente revolvimus, meritò confundamur necesse est; vel temporum iniquitati, vel humanæ imbecillitati, tam multum nos potuisse indulgere. Sub hanc à multis jam annis in Dioecesi nostra Synodorum cessationem, ob hostilitatem scilicet, famem, ac pestilentiam grassantem, velut opportunitatem corruptelis indultam, qui non superseminati abusus? quæ non pervulgata scandala? quæ non religionis ac Virtutis germina læsa atq; violata? quibus pro munere Officij Nostri partim evellendis, ac extirpandis, partim restituendis, ac consolidandis, hanc præsentem Synodum Dioecesanam censuimus indicendam, vocandosq; in partem solicitudinis ac laboris omnium Ecclesiarum Pastores, nobis subordinatos; ut quicunq; super damna ista vineæ Domini Sabaoth dolent nobiscum atq; plangunt, junctis nobiscum viribus, ad remedia industriam conferant ac laborem. Proinde omnes, & singulos Dilectos nobis in Christo Prælatos, atq; Canonicos Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Vilnensis, omniumq;

Parochialium, & quarumvis Ecclesiarum Dioecesis ejusdem, Abbates, Decanos Foraneos, Presbyteros, Rectores sive Parochos, Præpositos, Curatos Beneficiatos, sive Altaristas, Vicarios, Sacellanos, qui ejusmodi Synodis de jure aut consvetudine debent, aut ex privilegio possunt interesse, requirimus, hortamur, admonemus, & eorum singulis, in Virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis, alijsq; censuris, & jure ipso statutis, & arbitrio nostro statuendis pænis, mandamus, ut per semetipsos, aut si legitimo impedimento detenti fuerint (de quo nos in veritate docere teneantur) in tali casu, per speciales nuntios, aut procuratores, huic S. Synodo, Anno præsenti, Mense Octobri die 12. præcisè, intersint. Ante omnia antequàm à suis Ecclesijs abscedant, unusquisq; Sacramentorum administrationem, Ecclesiæ & ægrotorum curam alteri Presbytero ad Synodum non obligato sæculari, sive Regulari, non tamen vago, sed certo & idoneo, & ad Confessiones approbato, nec censuris innodato committat, similiter & curam rei familiaris cuivis benè sibi viso; tum ipsi pro die designato Vilnam, cum honesto Clericali habitu, & superpelliceo mundo se conferant, designatâ quâvis horâ, & Ordine præscripto, in Ecclesia Cathedrali affuturi; nec inde discedere quisquam eorum præsumat, nisi eâdem Synodo dimissâ, & absolutâ. Adferent verò secum, qui extra Vilnam degunt Sacerdotes, Breviarium quo quisq; utitur, Rubricellam, Epistolam Pastoralem : curati verò etiam attestationem de Oleis Sacris hoc anno renovatis, Præfectis Scrutinij exhibenda. Quia verò proximè celebratâ coram Nobis Congregatione Decanali, non omnia desiderata potuerunt obtineri, habebit unusquisq; Originalia suarum Fundationum Præpositalium, Parochialium, Altarista-

ſticarum, ſive quovis alio titulo Beneficiorum, ad Archivum Dioeceſanum comportanda, eorumq; legitima tranſumpta comparanda, tum ut conſtet in præſenti, an fiat ſatis menti & erectioni Fundatorum, tum ut acceſſio, deceſſioq; in ijſdem, eorumq; cauſæ innoteſcant. Dabunt præterea in ſcripto, adinſtar libelli in folio, mundè, & accuratè informationem quid acceſſerit, deceſſeritvè, in bonis, reditibus, ædificijs, ſupellectiliq; Sacra Eccleſiarum? de bonis arendatis, de ſupellectili Sacra aurea argenteave, ſimiliter de Cimmelijs Sacrarum imaginum actu exiſtentibus, de perditis, pignoratis, fidei commiſſis: in ſpecie quid? cujus ponderis, ac valoris? à quo? quare? & apud quem impignoratum depoſitumq; ſit. De Altarijs, circa eas obligationibus Fundatorum quoad perſonas beneficiatas, quoad numerum & locum Sacrificiorum, & legatas penſiones, & quare alicubi non ſatisfiat? De Oratorijs, Privatorumq; Sacellis Aulicis, conjuncta, an disjuncta à profanis ædibus? & ubi intra ſuæ Parochiæ limites habeantur? & in ijs, utrum de indulto Noſtro adhuc vigente, an jam, & quando evanido, aut nullo, & per quos Sacerdotes Sacrificia celebrentur. De præjudicijs etiam, ſi quæ á Religioſis, & quibus? ſi quæ item à Græco-Unitis in adminiſtratione Sacramentorum, aliorumvè Parochialium jurium violatione patiuntur. De vita item ſcandaloſa ſuorum Parochianorum, ſi qui in eis notorij homicidæ, adulteri, ſcortatores, uſurarij, magi, venefici, blaſphemi, Hæreticorum fautores, librorum prohibitorum lectores, ac retentores inveniuntur? & utrum poſt admonitiones Paſtorales, in pertinacia peccandi hæreant incorrecti? Quot in cujus Parochia ſint fana Acatholicorum, ad ſingula quot Prædicantes, & quot circiter Familiæ ad quodvis fa-

num pertinere poſſint? Quot iterum Tartarorum Moſcheæ? quot Synagogæ Judæorum, & poſteriores nominatim, utrum recenter, & an cum Loci-Ordinarij permiſſione erectæ? De Familia Chriſtiana, apud utroſq; infideles, tam Tartaros, quàm Judæos, quot in illo obſequio perſonæ eſſe poſſint, an non aliquæ cum periculo ſacrilegi commercij? utrum templa frequentent diebus feſtis, & hoc ſaltem anno ſingulæ communionem confeſſionemq; Paſchalem abſolverint. De cenſibus Eccleſiarum ſuarum apud Judæos, an integrè? quare non, & à quo tempore ſolvantur. Deniq; de Eccleſijs (ut quæ alicui eſt vicinior) deſolatis, pluribuſq; in unius poſſeſſione, & adminiſtratione exiſtentibus, ſeu Parochi ſimplicis, ſeu Cathedralibus titulis inſigniti, utrum ſtabiles, ac idoneos Vicarios habeant? præſertim an juratos. Præterea hortamur præfatos omnes, alioſq; Eccleſiaſtici Ordinis, tam Sæculares quàm Regulares, ut ſi quid ſinguli in proxima Synodo corrigendum noverint, circa prædicta omnia, item circa obſequia Spiritualium erga ſæculares, item de negotiatione, de clamoſa venatione, de habitu, & habitibus ſcandaloſis Clericorum, item ſi quid decerni dignum, pro ſuæ conſcientiæ, ac Prudentiæ dictamine duxerint, maturè ad Nos, aut Vicarium noſtrum, ſcripto deferre non graventur, ut pro rei qualitate, quod fuerit expediens, decernamus.

Per præſentes quoq; demandamus, ut poſt indictam, promulgatamq; hanc Synodi convocationem, in omnibus hujus Civitatis ac Dioeceſis Eccleſijs, Parochialibus & Præpoſitalibus, quoad ipſa Synodus abſoluta fuerit, Miſſa de Spiritu Sancto, vel ſaltem Oratio, ſi rubricæ Miſſam non permiſerint, dicatur. Ac tandem Chriſti Fideles quoſcunq; monemus,

nemus, atq; in Domino ferventer hortamur, ut ſuis ardentiſſimis precibus, Sacerdotes præſertim in Sacrificijs immaculatis, ad opus quod aggredimur, à DEO Optimo Maximo auxilium ſtudeant implorare, ut in ijs quæ neceſſaria fuerint, promovendis, decernendis, & exequendis, adeſſe nobis Divinus Spiritus lumine ſuo dignetur. Ac demum ut Civitas hæc, & Diœceſis ſalutaribus noſtris admonitionibus erudita, fructus in Domino afferat quàm uberrimos. Dabantur in Arce Noſtra Verkovienſi Anno Salutis 1716. die ſeptimâ Menſis Auguſti.

CONSTANTINUS
Epiſcopus.

(L.S.)

Trojanus Filipowicz
Actorum Curiæ ſuæ Celſitudinis Notarius.

3. Appropinquante termino indicto, quoniam ob ſtrepitum armorum, & imbrium ac fluviorum inſperatam inundantiam, Clerus Diœceſanus congregari non poterat, prorogatus eſt terminus viâ curſoriâ per omnes Decanatus ad diem 3tiam Februarij anni currentis.

4. In Epiphania Domini Anno præſente, Admodum Reverendus Dominus Vice-Decanus Eccleſiæ Cathedralis, pluviali indutus, immediatè poſt concionem, enuntiando in cantu ex Pontificali Romano feſta mobilia ex ſuggeſtu, adjecit ſuo loco, quòd ſcilicet *die 3tia Februarij Diœceſana Synodus habebitur.*

5. Mox ex Cancellaria ſuæ Celſitudinis emanatæ, omnium Eccleſiarum tam Sæcularium, quàm Regularium, intra, & extra urbem exiſtentium valvis, affixæ erant ſchædulæ in tenore ſequenti:

CON-

CONSTANTINUS CASIMIRUS BRZOSTOWSKI

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Vilnenſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri D.CLEMENTIS D.P. PAPÆ XI. Prælatus Domeſticus, & Pontificij Solij Aſſiſtens.

UNiverſo Clero tam Sæculari, quàm Regulari Diœceſis Noſtræ Vilnenſis, in Urbe & extra reperibili, Nobis in Chriſto dilecto, ſalutem in Domino. Cùm ſit in proximo terminus Synodi Diœceſanæ, quam juxta ſpeciale convocationis noſtræ edictum, feriâ 4tâ poſt Dominicam Sexageſimæ, hoc eſt, die tertiâ menſis Februarij Anni currentis, DEI annuente miſericordiâ celebraturi ſumus; ideò inſiſtentes Cæremoniali Epiſcoporum, omnibus, & ſingulis, Parochorum, Concionatorum, & Verbi DEI Prædicatorum Officio fungentibus, in Virtute S. Obedientiæ, & ſub &c. præcipimus, & mandamus, quatenùs tribus Dominicis Synodum antecedentibus, incipiendo à Dominica prima poſt Epiphaniam, incidente in diem 10. Januarij, uſq; ad Feſtum Purificationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ incluſivè, in omnibus Eccleſijs tam Sæcularibus quàm Regularibus, cujuscunq; Ordinis, & Inſtituti, intra Miſſarum Solemnia ex ſuggeſtu, imminentem Synodum denuntient, populumq; univerſum ardentiſſimis ſuis exhortationibus ad orationes, jejunia, Sacramentum Pænitentiæ, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem, aliaq; pia opera, eo fine facienda, ut actio Synodalis, DEI favente gratiâ, felicem & fructuoſum

ſum

ſum ſortiatur effectum, ferventer commoveant, & accendant. Ipſi verò Sacerdotes in Ecclesijs Parochialibus, præterquam, quòd Miſſam de Spiritu Sancto saltem unam, ſingulis his tribus ſeptimanis dicere requiruntur; etiam in quotidianis Miſſarum actionibus, addendo collectam de Spiritu S. pijs ſuſpirijs tam grande negotium, quod Divinæ confiſi misericordiæ aggredimur, Deo Optimo Maximo recommendent, quatenus per illud Civitas, & Diœceſis hæc, ſalutaribus noſtris admonitionibus erudita, fructus in Domino afferat uberiores. In Quorum Fidem &c: Datum in Arce noſtra Verkovienſi die 4. menſis Ianuarij anno Domini 1717.

CONSTANTINUS Episcopus.

Loco Sigilli.

6. Vigore quarum in omnibus Eccleſijs denuntiata fuit & publicata dies Synodi; ipſaq; Synodus orationibus Fidelium per Concionatores, & Parochos commendata, ordinatis in eum finem ubiq; Miſſæ Sacrificijs de Spiritu Sancto, alijsq; orationibus, ac ſuffragijs.

7. Ultimâ Septimanâ Synodum antecedente, Hebdomadarij ſingulis diebus lectioni ex Martyrologio enuntiatæ in Prima, adjungebant ſequentem monitiunculam in cantu ejuſdem toni: *NOVERITIS FRATRES chariſſimi, quòd annuente DEI miſericordia, feriâ 4tâ poſt Dominicam Sexageſimæ, die tertiâ Februarij ad ejuſdem DEI Omnipotentis, Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Stanislai Martyris, & Pontificis, Aliorumq; Sanctorum hujus Eccleſiæ Antiſtitum, & Patronorum laudem, Diœceſana Synodus habebitur. Pijs igitur precibus inſtate dilectiſſimi, ut Civi-*

tas, & *Diœcesis hæc, salutaribus Vitæ Christianæ institutis augeatur;* & *suffragantibus eorundem Sanctorum meritis, ex ijs uberiores fructus indies ferat in Domino, Cui est honor,* & *gloria in Sæcula Sæculorum. Amen.*

8. Pridie Synodi hoc est die 2. Febr: affixæ erant Valvis Ecclesiæ Cathedralis, & aliarum Schedulæ denuntiantes horam Synodi, crastinâ die inchoandæ, juxta tenorem inferiùs suo loco apponendum.

CAPUT II.

De Officialibus Synodi Principalibus.

9. Actio Synodalis ut eò exactiore methodo institui, & expediri valeret, tēpestivè in ante-Synodalibus, consultationibus, Personis idoneis distributa sunt Officia varia: ex ipsa namq; Personarum multitudine confusio metuenda foret, nisi huic occurrisset malo, ea Officiorum distributio, quæ singulis, terminos suæ activitatis præscripsisset. Porrò Officia hujusmodi divisa fuerant in duas classes; Alia enim erant duratura ad sequentem Synodum, alia cum Synodo expiratura. Primæ Classis Officia erant *Iudicum, Examinatorum, Testium Synodalium,* & *Punctatorum.* Quos ex nominatis ab Episcopo, tota Synodus approbare debuerat. Officia 2dæ Classis erant: *Promotoris, Secretarij, Notarij, Præfectorum Scrutinij,* & *Hospitiorum, Ostiariorum, Iudicum querelarum:* quæ solus Illmus Loci Ordinarius de Consilio Consultorum, Personis idoneis contulit. Hæc rursus bifariàm divisa. Alia enim Substantialia, & Principalia, alia minùs Principalia: uniuscujusq; obligationem breviter attingemus, & primò quidem Principalium, tum aliorum.

§.

§. Imus
De Officio Promotoris

10. IPſius munus erat urgere actionem Synodalem pro emittenda Profeſſione fidei, pro Clero vocando, & Scrutinio ejuſdem, pro electione Examinatorum, & Iudicum, pro Decretorum promulgatione, pro pœnis contra abſentes, pro rogatu Notarij. Huic injunctum erat habere Formulas ordine conſcriptas, & incluſas in libro aliquo decente, quibus uteretur, rem ſuam promovendo. *2do* ut incipiens loqui, & finito ſermone præſtaret reverentiam, & profundam Capitis inclinationem Illuſtriſſimo Loci-Ordinario, nec prius recederet ex loco, donec ipſi reſponderetur ab eodem, & decretum ferretur.

§. II.
De Officio Secretarij.

11. SEcretario commiſſum erat totius actionis Synodalis magiſterium, & Miniſterium, ut ſcilicet & agenda in Synodo ordinaret, & Statuenda debito Ordine diſpoſita, ad formam Decretorum reduceret, & ſingulorum Officiorum functiones, deſignatis pro unoquoq; Officio Perſonis exhiberet. Porro in particulari ipſius erant functiones, quæ ſequuntur:

1mô Ordinare lectionem Decretorum, juxta conſilium Conſultorum, & Congregationum ante-Synodalium.

2dô legere ex ſuggeſtu decreta, tum Præliminaria, tum etiam approbanda á Synodo, quærereq; ex Clero per hæc verba: *placetné vobis*, legere item Decreta SS. Concilij Tridentini de pro-

ſeſſione fidei facienda, de Reſidentia, & electione Examinatorum, ac Iudicum Synodalium *&c:*

3tiò. Indicere, & limitare Seſſionem juxta mandatum Epiſcopi.

4tô. Vocare Clerum ad profeſſionem faciendam Fidei. *&c:*

5tò. Curare publicationem Schedularum pro Synodi inchoatione, Cleri inſtructione, Scrutiniorum expeditione, Capellarum pro ijsdem deſignatione.

6. Promulgare Officiales in Synodo, tempore, & loco ubi eos Epiſcopus promulgare mandaverit, de quibus tamen tacere debet, ante eorum publicationem.

7. Suggerere Episcopo, & revocare ea, quæ ſunt agenda in ejus Palatio, antequàm deſcendat pro Seſſione.

8. Cantores, Muſicos, capita orationis ordinare, Officialibus deſignatis, quatenus ſinguli ritè ſuas obeant functiones, modum, formam, & praxim præſcribere, inſtructionem præbere. Ultimò deniq; ſatagere omni conatu, ut tota actio Synodalis exactiſſimè peragatur, adhibitis in eum finem Magiſtris Cæremoniarum, indiceq; pro qualibet Seſſione connotato, quid, & quando Ipſe, quidvè, & quando Alij omnes, agere debeant in ſingulis Seſſionibus.

Propoſitum erat ut deſignandus pro Secretario ſit Doctor in Jure vel Theologia, conformiter ad *Pontif: Romanum*, ubi lectio Decretorum committitur Archidiacono, qui ſecundùm *Conc. Trid:* debet eſſe Doctor, & ita fieri decrevit Illſſmus Loci-Ordinarius.

12. Conceſſa eſt ipſi mensa tapete tecta, ad ſiniſtram Epiſcopi prope ſuggeſtum, in qua habere debuerat Catalogum Cleri benè ordinatum, catalogum Confeſſariorum, tabellas Proceſſionis, ſcrutinij, Capitum Orationis, Indicem agendorum in Seſſione.

Lecturo decreta præſcriptum, ut ea acciperet ab Episcopo

cum

cum debita reverentia; ut primum Decretum legeret ſtando, aperto capite de incepta Synodo, reliqua ſedendo.

Permiſſa eidem electio, & deſignatio Socij nominandi, *Lector Decretorum*, qui adjuvaret Secretarium in legendis Decretis, ſi plura fuerint, cuſtodiret notata, & Acta Secretarij in menſa jacentia, dum Secretarius eſt in ſuggeſtu.

§. III.

De Officio Notarij

13. Hic erat deſignatus Cancellarius Diœceſis, utpote in cujus manibus erant Acta, & Archivum. Officium ipſius erat,

1mò ea, quæ agebantur in Synodo, connotare.

2dò Dum rogaretur à Promotore de Inſtrumenti confectione, reſpondere, ſe facturum aſſumptis teſtibus aliquot ex Clero.

3tiò Clerum Vocare ex eo loco, ubi deſijt Secretarius.

4tò Abſentes notare.

5tô Eorum qui Fidei Profeſſionem in Synodo emiſerunt Schedulas recipere, & in libro poſtea deſcribere.

Locus ipſi aſſignatus erat ad menſam à ſiniſtris Episcopi poſitam, unà cum Secretario propè ſuggeſtum.

CAPUT 3tium.

De Officialib9 Synodi.

§. Imus.

De Præfectis Disciplinæ Synodalis, & Scrutinij.

14. Cùm ob temporis angustias, & Scrutandorum pluralitatem, Illmus Loci-Ordinarius singularum Ecclesiarum statum, & Cleri Personas perscrutari non valeret, ideò juxta usitatam praxim, exposuit Sacerdotes, ætate, prudentiâ, vitâ exemplari, ac zelo Ecclesiastico excellentes, & conspicuos, pro dictis scrutinijs, in forma sibi danda expediendis.

15. Numerus eorum qualis erat, patebit ex annectenda suo loco Officialium tabella: locus pro Scrutinijs cuivis designatus, Capella certa in Ecclesia Cathedrali, temp9 præfixum horis pomeridianis, dum vocabatur Clerus in Sessione Synodali: verùm ob pluralitatem scrutandorum manè, & vespere extra Sessiones Synodales Præfecti continuabant in suis Residentijs scrutinia, secundùm sequentem tabellam:

TABELLA Scrutinij
Seu Instructio data Præfectis
Disciplinæ Clericalis, juxta quam expedita sunt scrutinia.

16. Observata quædam.

1. SCrutatores non priùs se contulerunt ad executionem Commissi sibi Officij, donec in Synodo promulgatum fuit decretum de eo faciendo.

2. In ſingulis Capellis erat menſula tapete tecta, habens in ſe Imaginem Crucifixi, & hujusmodi tabellam.

3. Subibant Scrutinia ſinguli ſigillatim juxta Catalogum diſtributionis à Secretario Scrutatori cuiq; datum, non verò bini, terni &c: propter vitandam confuſionem.

4. Ex Scrutatoribus unus inquirebat, alter mox in folio juſto cum marginib9 annotabat, cujusq; comparentis nomen, cognomen, ætatem, baptiſmum, doctrinam, ordinem, Officium, & beneficium: deſcribebat iterùm graphicè cujusq; habitum, ſeu Veſtitum, in quo quis erat, uti veſtibus talaribus honeſtis indutus, ſuperpelliceum, collaria habet munda, vel ſordida, cingulum, Pileum, nigri, vel alterius coloris, tonſuram, capillos, an utitur baculo, annulo, & id genus &c:

17. In actu Scrutinij inquirebat unus, alter annotabat

Sequentia, pro formali Scrutinio neceſſaria.

1. FIdem baptiſmi?
Formatas?
Approbationem?
Proviſionem, ſeu titulum Eccleſiæ ad quam ordinatus, & an ei inſervit? vel eam deſeruit, & quare? ac ubi eſt nunc.
Rubricellam?
Breviarium?

2. EX Beneficiatis inquirebant:
Præſentationem ad Beneficium à quo? Inſtitutionem? Facultatem abſolvendi à reſervatis?

Epi-

Epiſtolam Paſtoralem ?

Oleorum Sacrorum hujus anni teſtimonium?

Indultum pro Eccleſia, ſi non eſt conſecrata ?

3. Introductionem, per quem peracta ? & quis tradidit Eccleſiam in realem poſſeſſionem ? Inventarium rerum Eccleſiaſticarum, apparatuum ſcilicet, & omnis ſuppellectilis cum ſubſcriptione Introducentis ?

Fundationem Beneficij ? extractum authenticum? ſe u copias?

Dotationes, Legationes ?

Quot Miſſæ debent dici ex obligatione ?

Liber in quo ſcribuntur Miſſæ, ex vi obligationis impletæ, juxta Epiſtolam Paſtoralem ?

Summæ Widerkaffales an ſunt aliquæ? , & an in loco ſecuro locatæ ? utrum annuus currit cenſus ?

An Originalia data ad Archivum Perilluſtri Adm: Rndo Dno: Cancellario Diœceſano, Tranſumpta verò cum ejus ſubſcriptione, & ſigillo an apud ſe retineant ?

4. De Ordine Officiorum Divinorum in Eccleſia, nimirùm Matutinum, & Veſperæ diebus Dominicis, & Feſtis an decantantur in Eccleſia ?

Miſſa pro Parochianis cantata ?

Et Concio an ſolet eſſe ? quâ horâ ?

Cathechiſmus, ſeu explanatio Doctrinæ Chriſtianæ an inſtituitur ſingulis Dominicis, & quo tempore ? & quare ita ?

An recitatur cum populo vernaculâ lingvâ oratio Dominica? Salutatio Angelica? Symbolum, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ?

An Soleant eſſe aliquæ Proceſſiones cum Venerabili ? & quando ? & cum cujus conſenſu ?

5. An habeant connotatum ſtatum, aut numerum animarum in ſua Parochia, cùm id requirat Concilium Tridentinum, ut noſcat ſuas Oves Paſtor ?

An ſciant Parochiani ea ſaltem, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij, & unde hoc conſtat?

An

An horum ignorantiâ intellectâ, ante confessionem illos primò instruunt, tum demum Confessiones audiunt?

An omnes Parochiani confessi in Paschate, & unde hoc constat?

An aliqui etiamnum reperiantur non confessi, & qui sunt, & an moniti?

An sunt aliqui blasphemi, perjuri, Concubinarij, venefici? ad quos etiam alij recursum fortè faciunt?

An Obstetrices sunt examinatæ, & doctæ baptisare in necessitate?

6tò. In Parochia an reperiuntur aliquæ Ecclesiæ, & Domicilia Religiosorum, & an exercent curam animarum? cum cujus consensu? nonnè cum Præjudicio Parochorum? Item quot sunt Personæ Religiosæ in singulis?

Nonnè absolvunt Missas in ædibus privatis, & ubi? an est ibi Indultum? & à quo tempore?

Item inquirebant de Ruthenis tum Unitis, tum etiam Schismaticis, nonnè celebrant in privatis ædibus apud Catholicos?

Quot sunt Synagogæ Iudæorum in Parochia,& quando extructæ, & cum cujus consensu? Quot iterum Moschex Tartarorum? quot sunt Fana Hæreticorum?

Quot Christiani in obsequijs Iudæorum, Tartarorum, Hæreticorum? an solent esse in Ecclesia? an confitentur?

An reperiuntur aliqua loca miraculosa, aut imagines, & quis eas approbavit?

Nonnè aliquæ superstitiones scandalosæ, & nocivæ practicantur in Parochia, & quales?

7mò. Ipsi ubi resident? an ad Ecclesiam, an in Prædiolo? & in quanta illud distantia ab Ecclesia, & quoties Ecclesiam in hebdomada accedunt?

8vò An habent Vicarios,& quos, vel quem nunc reliquerunt loco sui in Ecclesia?

9no Ecclesia hæc quando visitata, & à quo? & ubi Decretum reformationis? & an impletum?

10mò. An habet certos fines Parochia, seu limites?

11mò Prædia Beneficij nonne sunt alicui locata, arendata, & cum cujus consensu? qui si est, debet exhiberi. Item pro quali summa, pro quo tempore? cui? nonne est periculum alienationis?

Item ex supellectili Ecclesiastica nonne aliquid oppignoratum? & à quo & cui? & in quo pretio? & ex qua ratione? & quo tempore id factum?

De Absentibus inquisiti sunt Decani, & proximiores Parochi in ordine ad dandam relationem de statu Ecclesiæ absentis.

Secundùm hanc tabellam expedita sua scrutinia: Præfecti in sequenti scribebant forma.

Nos infra scripti, disciplinæ Clericalis Præfecti, post publicatum in Synodo de instituendo per Nos scrutinio decretum; illud, DEI invocato nomine instituimus, & ejus adjutrice gratiâ peregimus juxta porrectam à Synodi Secretario tabellam: tum præinsertâ tabellâ, de verbo ad verbum in folio iusto cum marginibus, annotabant per puncta singulorum de statu suarum Ecclesiarum informationem, in fine subscribebant nomina sua, cognomina &c: & reddebant Secretario,

§ II.
De Judicibus Querelarum

18. AUdiendas esse in Synodo Querelas, certum est *ex Pontificali Romano*, sed quia hujusmodi audientia, si tempore actionis Synodalis fieri deberet, partibus quidem modicum adferret levamen, toti verò Synodo, in expediendis suis negotijs gravem facesseret difficultatem, ideò Illmus Dnũs Antiquorum consvetudini insistens, eam extra actum reijciens, maturioris Consilij Viros, prudentiâ, & iuris-peritiâ commendatos, ad audiendas, & præviâ discussione decidendas hujusmodi

Que-

Querelas deputavit: Qui nimirum ſub directione ſui Generalis Vicarij ſummario proceſſu, ſervatâ tamen formá juris, de plano univerſis recurrentibus, non modò jus dicerent, ſed occurrentes controverſias de Ordine ſedendi, procedendi in Proceſſionibus, citra præjudicium utriusq; partis componerent, & Supplices Libellos pro excuſatione abſentium examinandos poſt Synodum reciperent.

19. Iudiciorum hujusmodi Majeſtas, & Authoritas eò gravior apparebat, quo frequentior ea Prudentium virorum cingebat Corona. Porrò Querelarum audientia fiebat in loco Iudiciorum ſolito, bis de die, matutino, & Veſpertino tempore, Seſſione Synodali non impedito, in qua nè Querulantium multitudo faceret confuſionem, cautum erat, ut Querelæ ex regeſtro præviâ citatione inſcriptæ acclamarentur, Actaq; ac deciſiones Iudicum in libro ad id ſpecialiter præparato annotatæ conſervarentur, & partibus legitimè extraderentur.

20. Audientiam hanc à Iudicijs Ordinarijs diſtingvebant ſequentia.

1. In Ordinarijs Iudicijs cauſæ ſolenni proceſſu, hîc de plano terminabantur.

2. Ibi per Patronos, & Procuratores, hîc ſi placuerat etiam per ſe ipſas partes controvertebant.

3. Ibi Feriæ certæ, & dies Iuridici ſub nullitate Proceſſûs inſtituti, hîc absq; reſpectu Feriarum, & dierum ex Synodi Privilegio ſemper diſcutiebantur, & concludebantur Querelæ.

4. Ibi Solius Iudicis non Aſſeſſorum ſententia jura dabat: hîc votorum pluralitas concludebat.

5. In ijs appellatio interponi non potuit, niſi ad ſuperiorem Epiſcopi, hîc ad ipſum Epiſcopum.

6. In ijs dilationes plures adinventæ, hîc tantùm tres conceſſæ, nimirum *Patronus*, ſi quis eum habere voluit, *Copiæ documentorum*, & *formalis partium audientia* cum ſubſeqvuta in inſtanti deciſionè.

7. Ad illa omnes Episcopo subjecti, huc soli Clerici, qui ad Synodum venire tenebantur, tametsi à Laicis adcitari poterant.

§ III.
De Procuratore Cleri.

21. PRæter Querelas, cùm soleant in Synodo tractari, & resolvi multa particularia negotia secum convenientia, ne eædem Propositiones à pluribus cum temporis dispendio repeterentur sine fructu, ideò pro singulis quatuor Decanatibus designatus erat Vir certus, ingenij facilitate, & Iudicij maturitate comēndatus, qui singulorum petita in unum supplicem libellum generaliter redacta, nomine omnium in Synodo proponeret, peteretq; resolutionem.

22. Ad eos recurrebant omnes ex designatis cuiq; Decanatibus, suum aut suæ Ecclesiæ, vel Parochianorum interesse proponentes, & illi Recurrentium onera gratis, & benevolè suscipiendo, nomine suorum Clientum in Synodo agebant, & resolutionem ab Episcopo per Secretarium recipiebant.

23. Porrò petita sua, & propositiones dabant Procuratores in scriptis cum debita reverentia, & brevissima rei expressione, Episcopo, qui mox, vel in altera Sessione ob negotij gravitatem, singulis per suum Secretarium itidem in scriptis respondebat.

§ IV.
De Magistris Cæremoniarum

24. HIs commissa fuit attendentia omnium, & singulorum Rituum, ac Cæremoniarum totius actionis Synodalis tam ante, quàm post inchoatam Synodum contigentium.

Eju-

Ejusmodi erant: Publicatio Synodi in festo Epiphaniæ, Ordo Processionum ad præscriptum Secretarij, Habitus Cleri, Ordo item standi, flectendi, sedendi, reverentiam exhibendi, Missæ Synodalis, & in ea totius Cleri incensandi, communicandi cura, & vigilantia, Officialium informatio juxta puncta data â Secretario, verbo, eorum omnium quæ insinuata sunt, & mox insinuabuntur promptisima executio &c:

§ V.

De Ostiarijs & Præfectis Hospitiorum.

25. OStiarijs commissa erat imò Exclusio Laicorum Ex Ecclesia, paulò antequàm inchoaretur Sessio. 2dô Admonitio eorum, qui forte de Clero tempore actionis Synodalis vagarentur per Ecclesiam, & inutilibus distraherentur confabulationibus. 3tiò Occlusio Portarum, & Ianuarum Ecclesiæ tempore Sessionum, & tandem tertia die post finita omnia, populo pro Gratiarum actione confluenti, apertio.

26. Præfectis Hospitiorum injunctum fuit imô habere Catalogum totius Cleri pro Synodo confluentis, de eorumq; scire Hospitijs. 2dò. Notationes Hospitiorum â Decanis recipere, & apud se ordinatè descriptas tenere, ut sciatur, ubi singuli quærendi pro varijs negotijs. 3tiô. Visitare subinde eorum hospitia, observando, utrum modestè se gerant, an non compotationibus indulgent, &c: aliàs fraternè admonitos, si viderint contumaces, Præfectis Scrutinij, aut Vicario Generali deferre. 4tô. Deniq; præstare id non modò per se, sed etiam per adlectos sibi idoneos Comministros in hoc Officio onus relevaturos.

§ VI.

De Reliquis Officialibus Synodi.

27. OEconomus, ut moris eſt, licèt fuit deſignatus Magiſter Curiæ Epiſcopalis, nihilominus ad ſolvendum Synodaticum ſpeciali lege nemo obligabatur, niſi, qui, & quantùm volebat, contributionem hujusmodi pro libitu ſuo faciebat.

28. Electi quoq; erant ante Synodum Candidati pro variis Officijs ad ſequentem Synodum duraturis: nimirum; Examinatores, Judices, Teſtes Synodales, Cenſores Librorum, Punctatores, & cæteri, ſuo loco per Synodum approbandi, de quibus ibidem dicetur à numero 84.

CAPUT 4tum.

De ijs, quæ immediatè Synodum antecedebant.

§ I.

Inſtructionem Cleri de methodo Synodali complectens.

29. AD congreſſus Synodales, ut omnes, & ſinguli, qui ijs de jure, vel conſvetudine intereſſe tenebantur, inſtructiores accederent, ſequentium præmonitionum Tabellæ de mandato ſuæ Celſitudinis, ad valvas Eccleſiæ Cathedralis, & Epiſcopalis Palatij, tempeſtivè erant publicatæ in his punctis.

30. Imo Meminerint omnes, & ſinguli ad Synodum acceſ-

ſuri

furi, pridie illius, aut ipso die summo mane, antequam inchoëtur actio Synodalis, expiandam esse conscientiam per Confessionem Sacramentalem, coram aliquo ex Confessarijs Synodalibus, specialiter ad id designatis, & publicatis instituendam.

2dò. Confessione peractâ nullus debet communicare privatim, nec Presbyteri Missas habere, sed communicabunt omnes ex manibus Illustrissimi Domini in Missa Solemni, ad initium Synodi habenda de Spiritu Sancto, & quidem Clerici in superpelliceis, Presbyteri verò stolas rubei coloris habentes.

3tiò. Die prima Synodi, id est tertiâ Februarij convenient omnes tempestivè horâ septimâ matutinâ ad Palatium Episcopale, vestibus talaribus induti, habentes secum superpellicea munda, Parochi insuper stolas, Decani verò etiam Pluvialia, si fieri potest, Coloris rubei, quibus postea parabuntur ad Processionem ex Palatio ad Ecclesiam Cathedralem instituendam. Personæ Cathedrales habebunt sua propria insignia.

4tò. Qui post obtenta beneficia Professionem Fidei in nulla Synodo emiserunt, habeant secum schedulas, cum descriptione nominis sui in ijs, cognominis, tituli, & Decanatus, cui qui subijcitur, quas Professione emissâ, tradent Notario Synodi.

5tò. Habeant secum Breviaria, & in ijs signatum 1mò. Canticum *Benedictus:* Hymnum, *Gaude Mater Polonia:* in Processione 2dò. Psalmum: *Salvum me fac DEUS*, pro prima, & 3tia die, & *DEUS venerunt gentes* pro 2da die. 3tiò. Hymnum *Veni Creator Spiritus* pro omnibus diebus cantandum.

6tò. In Processione bini æquè procedent, certum inter se spatium servantes, Decanus solus in medio.

7mò. Tempore actionis Synodalis sint attentissimi ijs, quæ dicuntur, leguntur, aguntur, in summo silentio, ab omnibus confabulationibus, & perturbationibus rei Synodalis omninò abstinentes.

8vò. Ubi vocabitur Clerus, nominatim respondeat unusquisq;

voca-

vocatus: *Adſum*, & præſtet obedientiam, & reverentiam Illuſtriſſimo Domino, prout docebuntur à Magiſtris cæremoniarum, quorum ordinationem tam in Proceſſionibus, quàm conſeſſu, genu-flexionibus &c: ad amuſſim exequantur.

9nò. Si aliqui habuerint querelas, noverint eas non in ipſa Synodo, ſed coram Judicib9 ad id ſpecialiter deputatis, horâ per affixionem ſchedulæ in Palatio Epiſcopali evulgandâ, eſſe proponendas, per ſe ipſos, vel etiam Procuratores, ſummario tamen proceſſu, licet ſervatâ formâ Iudicij. Eidem Iudicio Libelli ſupplices abſentium, & excuſationum examinandi poſt Synodum committuntur.

10mò. Quodſi aliqui ſuum intereſſe ad ipſam Synodum habuerint, illud Synodi Procuratoribus exponent, qui nomine Cleri confectis libellis, petitiones,& deſideria ſingulorum,tempore actionis Synodalis Illuſtriſſimo Domino explicabunt.

11mò. Hoſpitia sua ſi non ſimul, ſaltem non longè diſtantia à ſuo Decano habeant, & mox ei ſuum hoſpitium ſignificent: Decanus verò deſcripta ſuorum Comparochorum hoſpitia, & ſuum, Præfecto Hoſpitiorum deferet, ut ſciatur, ubi quis quærendus.

12 In hoſpitijs, & incedentes per plateas, omnem modeſtiam, & grauitatem obſervent,à compatationibus abſtineant,ſub ſeram noctem domo non exeant, verbò, in omnibus ſe ipſos præbeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, ut is qui ex adverſo eſt vereatur,nihil habens malum dicere de nobis.

13 Decani ſi qui maturiùs præ alijs ad urbem ſe contulerint, cæremonias Synodales à Magiſtris cæremoniarum addiſcere ſatagant, easq; intellectas, ſuis etiam Comparochis communicent, ut omnes in re paſſim non obviâ inſtructiores reperiantur.

14 Triduo ipſius Synodi, horis pomeridianis, ſciant inſtituendum ſcrutinium ſingulorum coram deputatis ad id Præfectis. Pro quo ferant ſecum ad Eccleſiam Cathedralem, vel ubi examinabuntur, Rubricellam, Breviarium, Schedulam Vice-Cuſtodis

Cathe-

Cathedralis de Oleis ſacris hoc anno receptis. Formatas, Inſtitutionem, approbationem, Indultum pro Eccleſia ſi non eſt conſecrata, Epiſtolam Paſtoralem, Fundationem, & Inventarium nitidè deſcriptum, & in Folio juſto cum marginibus, & hæc omnia exhibeant Præfectis diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſeu ſcrutinij.

15. Circa finem Seſſionis nemo á ſuo loco diſcedat, niſi poſt abitum à ſuo Seſſionali loco Illuſtriſſimi Domini, exibunt autem ex Eccleſia non raptim, & turbulenter, ſed gravi, decoroq; inceſſu, nec ex urbe præſumant diſcedere, niſi eadem Synodo dimiſſâ, & abſolutâ, idq; ſi coram Præfectis ſcrutinij in examine comparuerunt, aliàs etiam poſt Synodi concluſionem absq; hujusmodi examine abire prohibentur.

16. Meminerint interim omnes uſum baculi, & annulorum ſibi prohibitum eſſe ſub amiſſione eorum, & alijs pœnis in contravenientes arbitrio ejuſdem Illuſtriſſimi deſignandis &c.

§. II.

Ordinem Proceſſionum ad initium, & in fine Synodi expeditarum inſinuans.

31. DUæ Proceſſiones in Synodo ſunt expeditæ, ad initium pro deductione Illuſtriſſimi Episcopi ex Palatio ad Eccleſiam Cathedralem prima, Altera pro ejuſdem poſt Synodi concluſionem reductione ad idem Palatium. Utriusq; ordo in tebellis deſcriptus, & unà cum Cleri inſtructione ad valvas affixus, hic erat obſervatus.

32. Prodromus erat univerſo Clero unus ex Magiſtris Cæremoniarum ſuperpelliceo indutus cum Virga ſolita. Hunc ſe-

quebatur Clericus cum Cruce Cathedrali lignea, associatus hinc inde à duobus Clericis Ductoribus, pluvialibus rubri Coloris indutis, baculos, seu clavas Cathedrales ferentibus: succedebant imo Clerici minorum Ordinum. 2dò. Subdiaconi, 3tiò. Diaconi: 4tò. Presbyteri non beneficiati. 5tò. Altaristæ eo ordine, qui Parochis erat præscriptus, omnes superpelliceis. albis induti. Quem ordinem secutus alter Cæremoniarum Magister, in simili quo primus ornatu habens superintendentiam in hac parte Cleri.

33. Secundus ordo erat Parochorum, & Commendariorum, seu commendatas Ecclesias habentium, qui superpelliceis, & stolis rubei coloris induti, secundùm ordinem Decanatuum bini, & bini servantes inter se duorum pedum spatium processerunt hoc modo: 1mò. Decanatus Knyszynensis. 2dò. Augustoviensis, 3tiò. Bobruyscensis, 4tò. Radoszkowiensis. 5tò. Minscensis. 6tò. Orsensis 7mò. Witebscensis. 8vò. Wołkovyscensis 9nò. Rożanensis 10. Słonimensis. 11. Novogrodensis. 12. Polocensis. 13. Ołwitensis. 14. Caunensis, 15. Grodnensis. 16. Siemnensis. 17. Trocensis. 18. Braclaviensis. 19. Kupiscensis. 20. Radunensis 21 Svirensis. 22. Oszmianensis. 23. Poboyscensis. 24. Vilnensis, singuli cum suis Decanis supra stolam, & superpelliceum pluvialibus rubri coloris indutis. Hos sequebantur superiores Collegiatarum, Canonicorum Regularium cum Mucetis, & Rochettis ex singulari concessione suæ Celsitudinis pro hac sola vice, & post eos Cæremoniarum Magister

34. Tertium Ordinem anteivit Clericus Seminarij, deferens insigne Nominis Mariæ, hunc sequebantur Vicarij Ecclesiæ Cathedralis in suis Dalmutijs, sine ijs, sed cum stola AA. RR. DD. Pænitentiarius, qui & Vice Custos, ac Contionator Cathedralis, Prothonotarij Apostolici, Hospites Prælati ex alijs Diœcesibus, Præpositi & Abbates Infulati cum Infulis Hoc loco deferebantur quatuor Infulæ pretiosæ per quatuor Sacerdotes Pluvialibus indutos, in fine hujus Ordinis, primus, & principalis Cæremoniarum Magister.

35. Ante ultimum V. Capituli Ordinem præferebatur Crux argantea aſſociata duobus hinc inde Ceroferarijs, quam ſubſeqvuti Perilluſtres Reverendiſſimi AA. RR. DD. 1. Archidiaconus Albæ Ruſſiæ cum Cancellario Diœceſano. 2dò. Canonici. 3tiò. Prælati Eccleſiæ Cathedralis cappis Romanis ſeu togis induti. 4to. Illuſtriſſimi tam Senatores quam Episcopi Suffraganei, quisq; ſuo loco, tandem ipse Illuſtriſſimus Dominus Loci Ordinarius Vilnenſis in Cappa, & bi\etto, medius inter Diaconum, & Subdiaconum Dalmaticis rubei coloris paratos. Immediatè poſt eum ex Clero unus portabat Mitram à Dextris, alter baculum à ſiniſtris, Capellanus togam ſublevabat.

36. Comitabantur Illuſtriſſimum pro Cuſtodia Corporis Cives Vilnenſes jurisdictioni temporali ſuæ Celſitudinis ſubjecti cum Vexillo expanſo. Proceſſione durante decantabatur Canticum *Benedictus*, ut in laudibus: *Pſal: Confitebor tibi Domine:* ut in Veſperis Dominicæ, Hymnus *Gaude Mater Polonia* ex Veſperis D. Stanislai.

§. III.

De ijs quæ agebantur pridie Synodi.

37. ULtimâ die Synodum præcedente, Eccleſia Cathedralis ornata usq; ad valvas aulæis, columnæ propiores Altari, periſtromatibus pretioſioribus, pavimentum frondibus, Altaria Tobaleis mundis, & candelarum Reliquiarumq; in arculis argenteis pulchro ordine collocatis varietate, Valvæ, Ianua, imò Porticus ramis, & frondibus virentibus decorata cernebantur. Ad dextram valvarum partem in tapete pendebat charta continens nomina, cognomina Officialium Synodalium poſt eo-

rum in 1ma Sessione Promulgationem affixa, ad alteram itidem in tapete Ordo Processionis, instructio Cleri.

38. Pendebant ibidem & aliæ schedulæ horam Synodi inchoandæ denuntiantes, Confessarios tam ex Clero, quàm ex omnibus Religionibus designatos, viros discretos, & prudentes, Sanctitate, ac doctrinâ illustres continentes, quibus data erat facultas absolvendi ab omnibus reservatis universos, & solos ad Synodum confluentes, non alios, duratura ad decursum ante, & post expeditam Synodum unius septimanæ.

39. Præparata quoq; erat pro Illustrissimo Episcopo in Ecclesia triplex sedes, Prima in throno Ordinario ad cornu Evangelij, in qua semper sumebat paramenta, dum Pontificaliter celebraret. 2da ante infimum gradum in Faldistorio. 3tia deniq; in ipso plano Altaris, ubi sedebat tempore actionis Synodalis.

40. A dextris, & sinistris Illustrissimi Episcopi disposita cernebantur in semicirculum sedilia ab Altari ad stalla Canonicorum, in quibus sessuri erant Illustrissimi Infulati, Dignitates, & Canonici. Post ea, præparatæ erant duæ mensulæ Tapetibus tectæ, una à dextris pro Vicario Generali ad deponenda in ea Decreta, altera à sinistris pro Secretario, Notario Synodi, Actisq; eorum. Ad hanc alteram mensam constitutus fuit suggestus, tum pro sermonibus in Synodo habendis, tum pro Decretorum lectione, Officialium promulgatione, alijsq; negotijs publicandis. In loco ab Altari remotiore erat mensula parva pro Oeconomo præparata, ubi ipse tempore vocationis Cleri pro more assideret, si forte aliquis vellet juxta Canonicam dispositionem aliquid offerre in honorem Cathedræ.

41. Pridie Synodi potissimùm sub noctem præcedentem pulsabantur campanæ, tam in Cathedrali quàm etiam alijs Ecclesijs totius Urbis festivo sonitu, imitantibus idem suâ sponte Disunitis.

Post Vesperas de die, ante Synodum, quibus aderat Illustrissi-

ſimus Loci-Ordinarius, & Completorium: celebratum pariter fuit matutinum, & laudes ſequentis diei, ut ejus functionibus majus temporis ſpatium remaneret.

PARS SECUNDA
De Ordine Seſſionum Synodalium.

SESSIO PRIMA
Quæ fuit die 3. *Februarij anno Domini* 1717.

42. HOrâ per Schedulas affixas deſignatâ, expeditis ſuis Confeſſionibus convenit univerſus Clerus ad Palatium Epiſcopale, ex quo omnes ſuperpelliceis mundis, Parochi inſuper ſtolis, Decani uerò etiam Pluvialibus, quantum fieri poterat rubri Coloris induti, unâ cum Clero Seminarij, Cathedrali, Canonicis, ac Prælatis, omnes ſupplicantes, pſallentesq; proceſſionali ritu deduxerunt Illuſtriſſimum Dominum Loci-Ordinarium ſuum ad Eccleſiam Cathedralem, Ordine ſupra expreſſo, pulſantibus continuò in omnibus Ecclesijs campanis, & muſicâ reſonante.

43. In porta Eccleſiæ ſumpſit aquam benedictam Illuſtriſſimus, quâ ſe, & alios aſperſit, tum ante majus Altare procumbens ſupra Faldiſtorium ante infimum gradum oravit aliquantùm, deinde ſurgens factâ Cruci reverentiâ ivit ad thronum, ubi depoſitâ Cappâ ſumpſit paramenta rubei Coloris pro Miſſa ſolemni de Spiritu S. dicenda cum *Gloria, & Credo*: Similiter &

Canonici pro aſſiſtentia Illuſtriſſimo exhibenda parabantur Dalmaticis ejusdem Coloris, interim Nona decantabatur.

44. In Miſſa nulla fuit commemoratio diei: in ea incenſabatur totus Clerus, & communionem de manibus ſui Paſtoris ſumpſit, Presbyteri habebant ſtolas rubei coloris, dum communicabant.

45. In fine Miſſæ benedictio non erat data, ſed reſervata ad finem Seſſionis, poſt quàm Illuſtriſſimus Dominus, exutus in ſede veſtibus Sacris usq; ad tunicellam incluſivè, accepit Pluviale rubri coloris, Canonicis Dalmaticas retinentibus, ut in Miſſa.

46. Facto ſilentio, Diaconus ſtans à dextra Episcopi, facie verſâ ad Clerum cantavit *Orate*, in tono *levate* mox omnibus genu flexis, & aliquantùm Illuſtriſſimus itidem à throno ad Altare, ante infimum gradum progreſſus, ibidemq; procumbens ſupra Faldiſtorium, depoſitâ Mitrâ, inchoavit Antiphonam *Exaudi nos*, Vicarijs Eccleſiæ Cathedralis proſequentibus: quâ finitâ, ſurrexit, & ſedit in Faldiſtorio, facie verſâ ad populum, ſurgente quoq; & conſidente Univerſo Clero decantabatur Pſalmus *Salvum me fac DEVS* per choros alternatim.

Psalmo finito, & repetitâ Antiphonâ ſurrexerunt omnes cum Illuſtriſſimo, qui depoſitâ mitrâ converſus ad Altare recitavit Orationem: *Adſumus Domine* & ſecundam ut in Pontificali, ſtantibus omnibus usq; ad finem Orationis ſecundæ, tum cúm Epiſcopo procumbente ad Faldiſtorium aſſumptâ Mitrâ, omnes genuflexi cantabant Litanias, intonantibus Vicarijs Cathedralibus, Clero reſpondente.

Ubi ventum fuit ad verba ut *Omnibus Fidelibus &c:* ſurgens cum Mitra, & baculo, Clero genu flectenti benedixit, & iterum procubuit ad finem Litaniarum.

47. Poſt Litanias Surgentibus omnibus Episcopus depoſitâ Mitrâ ſtans in loco ſuo verſus Altare dixit: *Oremus* Diac: *Flectamus genua* Subdiac: *Levate, Da quæſumus.* Tum proceſſit ad Sedem ſibi paratam, in medio Altaris in plano ejus, ibidemq; bene-

benedixit incensum, & mox benedictionem dedit Diacono, more solito, uti in Missa pro cantando Evangelio. Qui accepta benedictione comitatus à duobus Acolythis cum candelis, accedens ad dexteram Episcopi in plano Altaris, Subdiacono librum tenente, cantavit Evangelium prout in Pontificali, Subdiaconus detulit librum Episcopo osculandum, quem etiam assistens Presbyter Prælatus stantem, & baculum in manibus tenentem, incensavit.

48. His peractis Episcopus depositâ mitrâ genuflexus versus Altare incepit Hymnum *Veni Creator* prosequentibus omnibus, post decantatos 4. Versus surrexit, pariter omnes cum Episcopo surgentes stabant ad finem Hymni. Ostiarij interim exclusis laicis januas occluserunt. Post finitum hymnum, considentibus omnibus, incepit Illustrissimus Episcopus cum Mitra allocutionem Cleri *VENERABILES FRATRES*, quam ultra explanavit proprio sermone infra apponendo. Quo expleto, Vicarius Generalis, comitatus à Cæremoniario detulit, cum solitis reverentijs, ad Illustrissimum Episcopum Decreta SS. Conc: Trid: & Decreta Præliminaria, quæ accepta Illustrissimus mox tradidit Secretario leganda, quibus ille reverenter susceptis ascendit ad suggestum & stans, aperto capite legit.

DECRETUM I.
De Synodi inchoatione.

49. IN nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritûs S. Ad DEI Omnipotentis laudem, & gloriam Beatissimæ semper Virginis DEI Matris singularem cultum, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, nec non Sanctorum Stanislai Martyris, & Pontificis, Ladislai, & Casimiri Confessorum, ac aliorum

San-

Sanctorum hujus inclytæ Ecclesiæ nostræ Cathedralis Patronorum Venerationem, Nos Constantinus Casimirus Brzostowski, DEI, & Apostolicæ sedis Gratia Episcopus Vilnensis, Sanctissimi Domini Nostri Clementis D. P. Papæ XI. Prælatus Domesticus, & Pontificij Solij Assistens &c: &c: in præsentia, assistentia, & de consilio Venerabilis Capituli Nostri in termino hodierno post multiplicem indictionem nostram longè ante præmissam, & legitimè publicatam incidente, Synodum Diœcesanam DEI nomine invocato feliciter inchoamus, & inchoatam esse denunciamus. Faxint superi precibus Virginis Beatissimæ, & eorundem Sanctorum, ut quemadmodum speramus ex hoc Sacro cætu Spiritûs S. illuminatricem gratiam ad Officia nostra secundùm voluntatem DEI, peragenda reportemus.

Finito primo Decreto legit Decreta ulteriora tecto capite.

DECRETUM II.
De præjudicio non inferendo.

50. SI cuipiam in hac Synodo sedere, incedere, vocari, aut quid aliud agere præter suæ dignitatis gradum, & conditionem contigerit, nemini propterea novum jus acquisitum fuisse decernimus, sed omnia in eo statu, in quo erant ante Synodi inchoationem firma remanere declaramus.

DE-

DECRETUM III.
De modo vivendi tempore Synodi.

51. CUm non modò lege Divinâ, & Canonicâ, verùm etiam, naturali rationis lumine, ad rectum populi regimen, necessarium est exemplum, bonorum Operum, in Ecclesiasticis, nec solùm quo ad externam speciem, si in intimis plùs, quàm laicè difflueremus, quod esset hypocrisis, sed etiam internum, conservando conscientiæ candorem; ideò Clerum nostrum hìc præsentem Paternè adhortamur, & per viscera misericordiæ DEI nostri obsecramus, ut hoc vel maximè tempore durantis Synodi in conversatione, & charitate Laicis hominibus præluceat Omni Virtutum splendore, ut videant omnes opera ejus bona, & glorificent Patrem nostrum qui in cælis est Observantes tabellam disciplinæ Synodalis ad valvas publicatæ.

Hoc loco legit tabellam Instructionis Cleri à numero 4to ad finem

DECRETUM IV:
De Oratione publica.

52. QUoniam antiqua praxi, & consvetudine habetur introductum in Synodali conventu Orationem fieri, ideò in omnibus precibus maximè in Sacrosanctis Missarum Officijs orandum edicimus pro Sanctissimo Domino

noſtro Clemente XI. totoq; Collegio Cardinalium, pro Sereniſſimo Rege Auguſto, pro conſtanti perpetuoq; Cleri, populiq; hujus Dioeceſis profectu, ac Salutari præſentis Synodi ſucceſſu, pro pace Regni, & Statuum Reipublicæ concordia, ac tranquillitate, ut omnes quà publicæ quà privatæ totius Eccleſiæ, ac Patriæ noſtræ neceſſitates, ex Suffragijs Orationis noſtræ emolumentum reportent.

DECRETUM V.

De Officialibus Synodi.

53. SYnodus hæc Sancta, quatenus exactiùs,& cum majori fructu peragi valeret, Officia illius in ſequentes Perſonas diſtribuimus, adhortantes unumquemq; in Domino, ut in deſignatis ſibi, præſertim Scrutinij functionibus omne Studium, & diligentiam adhiberent.

OFFICIALES SYNODI

Promotor.

Perilluſtris A. R. D. IOANNES DĄBROWSKI, Auditor curiæ Illuſtriſſimi Domini noſtri Loci Ordinarij.

Secretarius.

Perilluſtris A. R. D. ALEXANDER ZEBROWSKI, S. Th: & I. U. Doctor Archidiaconus Albæ Ruſſiæ.

NO-

Notarius Synodi.

Perillustris A. R. D. IOANNES BYCHOWIEC, Cancellarius Diœcesis Vilnensis.

Magister Cæremoniarum.

Illustris A. R. D. PETRUS SCHENFELTT, Canonicus Smolenscensis Magister cæremoniarum Ecclesiæ, Præpositus Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis.

Præfecti Scrutinij,

Seu disciplinæ Ecclesiasticæ erant Perillustres Admodùm Reverendi Domini Canonici Vilnenses, quorum unicuiq; commissum erat Scrutinium quatuor Decanatuum: & pro relevando eorum labore fuerunt additi ad singulos ex Clero tum Urbano tum Foraneo tres Personæ, vitâ, moribus, & rerum peritiâ, commendatæ, Qui singulorum Scrutinia in justum redacta volumen, juxta præscriptum Tabellæ Scrutinij, suæ Celsitudini exhibuerunt.

Judices Querelarum.

Perillustris Reverendissimus Dominus GEORGIUS ANCUTA, I. U. Doctor Canonicus, & Officialis Generalis Vilnensis.

Perillustris A. R. D. FRANCISCUS GIECEWICZ Canonicus Vilnensis.

Perilluſtris A. R. D. ADAMVS KIEŁPINSKI, Canonicus Vilnenſis.

Perilluſtris A. R. D. IOANNES BYCHOWIEC, Cancellarius Diœceſanus.

Perilluſtris A. R. D. ALEXANDER ZEBROWSKI, S. Th. & I. U. Doctor Archidiaconus Albæ Ruſſiæ.

Illuſtris A. R. D. IOSEPHVS PUZYNA, S. Th. Licentiatus, Canonicus Smolenſcenſis, Parochus Ucianenſis.

Procurator Cleri.

Illuſtris A. R. D. MATTHIAS EYGIRD Decanus, & Parochus Poboyſcenſis.

OEconomus.

Magnificus Dominus IACOBVS WOLSKI Prothesaurarius Nowogrodenſis, Mareſchalcus Curiæ Illuſtriſſimi Loci-Ordinarij.

Oſtiarij.

A. R. D. FRANCISCVS GAYDAMOWSKI, Vicarius Vilnenſis ad Eccleſiam Parochialem S. Ioannis.

A. R. D. ADAMVS WYSOGIERD, Parochus Ławariſcenſis.

54. DUm vocarentur Officiales, singuli respondebant, *Adsum*, factâq; reverentiâ Illustrissimo Episcopo in medio, occupabat quilibet locum suum: Secretarius verô, finito hoc Decreto, descendit de suggestu, & unà cum Promotore accesit ad Illustrissimum Episcopum. Promotor institit pro Fidei Professione in hæc verba: legens ex Schedula in libro suo contenta.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Statuit Sacrosancta Tridentina Synodus, ut quicunq; beneficia Ecclesiastica obtinent, & Synodo adesse tenentur, quo primùm tempore hæc habebitur, eiq; interfuerint, Fidei professionem emittant prout illud Tridentina constitutione expressum est. Ideò Ego Ioannes Dabrowski, Auditor Curiæ suæ Celsitudinis, hujus Synodi Promotor, humiliter peto, illam constitutionem legi, & ad præscriptum ab ijs, qui tenentur, omnia & singula præstari.

Responsum dedit Illustrissimus Episcopus, decernimus ita fieri. Mox ei factâ reverentiâ recesserunt, Promotor ad locum suum, Secretarius ad suggestum, in quo tecto capite legit.

DECRETUM VI.

De Professione Fidei facienda.

55. S*Ancitum est in Sacrosancto Concilio Tridentino, ut quicunq; Beneficia Ecclesiastica obtinebunt qui item ad Diœcesanam Synodum convenire debent, omnes in ipsa Synodo, ad quam primò convenient, Professionem Fidei emittant.* Verba Conc: Trid: hæc sunt Sessione 25. cap: 2. quod caput legit usq; ad finem. Subjunxit tandem finitâ lectione.

Procedant in medium omnes, & singuli, tam Personæ Reverendissimi Capituli, quam ex Clero universi, qui post obtenta Ecclesiastica beneficia in nulla Synodo Professionem Fidei emiserunt, & genu flexi in medio ante Illustrissimum Dominum, Fidem unà mecum profiteantur.

Mox Ipse descendit de suggestu, & genuflexus cum omnibus alijs, prælegente sibi ex Pontificali Romano Professionem Fidei uno ex lectoribus, eandem Professionem omnes simul emiserunt, & in fine primò Prælati, & Canonici, tum Clerus Cathedralis, deniq; universi beneficiati bini, terni, quaterni ad Illustrissimum Episcopum accedentes, jurârunt super expositis Evangelijs ante thronum, in hæc Verba: *Ego idem N: N: Spondeo &c.* Redeuntes interim à loco juramenti reddebant singuli Notario Synodali Schedulas, nomina sua, cognomina, beneficiorum titulos *&c:* continentes, ut libro inscriberentur, & occupârunt sua loca, ubi quisq; sedit, ante Professionem.

56. Secretarius de suggestu indixit continuationem Sessionis, fore post Completorium, in hæc verba:

Illustrissimus, Excellentissimus, ac Reverendissimus Dominus Loci Ordinarius indicit continuationem hujus Sessionis fore hodie post Completorium, in qua vocabuntur omnes ex Catalogo, & Scrutinium fiet à Præfectis, pro quo ut omnes parati, & cum debitis requisitis juxta instructionem ad valvas affixam, & immediatè lectam convenirent ad Ecclesiam Cathedralem, injunxit: Iudicia Querelarum fundabuntur in Palatio Episcopali à prandijs horâ secundâ,

Post denuntiationem descendit de suggestu, & Promotor accersito Notario, institit contra Contumaciam absentium his Verbis.

Illu-

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine.

57. *Cùm jam dies tertia menſis Februarij anni currentis venerit, quâ omnes, & ſinguli Eccleſiaſtici Ordinis homines, in hac Diœceſi Vilnenſi reperibiles, ad præſcriptum legitimè moniti, Synodo huic jam præſentes adeſſe debent, nec tamen hucusq; comparuerunt, aut ſuæ non comparitionis per Procuratorem, juſtam rationem attulerunt, ideò pro mei muneris Officio Ego Ioannes Dabrowſki, &c: Promotor Synodi, eorum Contumaciam accuſo, ſimulq; inſto apud ſuam Celſitudinem, quatenus contra illos Citationem Valvis hujus Eccleſiæ Cathedralis affigi, & cum ijsdem, tanquàm inobedientibus agi jubeat, prout juris eſt, & Sacrorum Canonum ratio poſtulat.*

58. His dictis, & accepto reſponſo Illuſtriſſimi Domini converſus ad Notarium dixit. *Ego qui ſupra &c: Promotor, rogo te Perilluſtrem Admodum Reverendum Dominum IOANNEM BYCHOWIEC, Cancellarium Diœceſis Vilnenſis, & Notarium Synodi, ut de Omnibus, & ſingulis in hac Seſſione peractis, unum, aut plura conficias Inſtrumenta.* Roſpondente Notario: *Conficiam aſſumptis teſtibus &c:* receſſit ad ſuum locum.

59. Ianuis apertis, exuit Illuſtriſſimus Epiſcopus Pontificalia, cappam induit, dataq; manu tantùm benedictione Clero, nam Solemniter benedicturus erat in fine Seſſionis, ac factâ brevi oratione in Faldiſtorio, receſſit, aſſiſtente ſibi Clero Cathedralis Eccleſiæ, cæteris ad propria hoſpitia abeuntibus. Mox ſingulis Capellis affixæ cernebantur tabellæ diſtributionis Cleri pro Scrutinio peragendo.

Con-

Continuatio primæ Sessionis horis pomeridianis

60. POst Vesperas, & Completorium Illustrissimus Dominus Cappâ indutus à suo Capitulo absq; associatione totius Cleri, deductus ad Ecclesiam Cathedralem, oravit de more ante SS. Sacramentum, & ante majus Altare apud sedem suam accepit amictum, stolam, Pluviale, Mitram, & baculum, tum descendit ad sedem Synodalem, Canonicis ut manè paratis.

Diaconus assistens à dextris cantavit *Orate* & omnes genu flexi pro Oratione: post modicum spatium surgens Episcopus recitavit orationem: *Adsummus* tum considentib9 omnibus. Promotor instituit pro Clero vocando, Scrutinio peragendo &c: his verbis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

61. *Sancitum est Concilijs Generalibus, & præcipuè Tridentino quòd omnes Ecclesiastici Viri, qui jure, vel consvetudine, Synodo Diœcesanæ interesse debent, si negligentes fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrant, quamobrem eos omnes ex suggestu vocari publicè, & successivè Cathedraticum jure Diœcesano debitum persolvi, tum Scrutinium à Præfectis à sua Celsitudine ad id muneris designatis, Sapienter institutum haberi, humiliter peto.*

Facto mandato, Secretarius de suggestu legit.

DECRETUM VIII.

De

De Clero vocando, Synodatico Solvendo.

63 VOcatio Cleri à Pontificali Romano præſcripta, ut commodiùs peragi valeat, inſiſtentes praxi aliarum Synodorum, hodie eam inchoari mandamus, revocantes in memoriam eam obligationem, quam tradit idem Ponficale, ut vocati aſſurgentes modeſtâ voce reſpondeant: *Adſum*, & debitam Epiſcopis exhibeant reverentiam. Beneficiati verò redeuntes à Nobis, accedant ad OEconomum noſtrum, & ſecundùm jura Canonica Synodaticum exolvant.

DECRETUM IX.
De Scrutinio peragendo.

64. SCrutinium Synodale ſancta conſvetudine introductum à Patribus, tempore Vocationis Cleri, à Præfectis adhujusmodi Officium deſignatis, inſtitui decernimus, hoc eſt: dum alij vocantur, vocatorum, & eorumD ecanatuumqui hodie vocari non poterunt, fiat Scrutinium in Capellis hujus Eccleſiæ, per ſchedulas affixas, diſtributis; ad quas quàmprimùm Perilluſtres Admodùm Reverendi Domini Canonici, expletâ ſuâ vocatione acceſſerint, Illuſtres Admodùm Reverendi Domini, Decani ex ordine ſuo unumquemq; ſubmittent.

65. Præfecti itaq; Scrutinij Synodalis, pro ſua quisq; timorata, religioſaq; conſcientia, in veritate, & juſtitia Scrutinium agent, præſcriptum tabellæ editæ ad ungvem obſervabunt, curabuntq; aptè, & diſtinctè connotare, quæ repere-

rint, & rebus à se notatis unusquisq; ex Scrutatoribus subscribet, testimoniumq; brevissimum peracti Scrutinij singulis extradet.

66. Ijdem audito pulsu campanulæ sacristiæ, mox ad propria loca redibunt, Scrutinia intermissa post completam benedictionem, in ijsdem Capellis, vel etiam in propria Residentia, continuabunt.

67. Qui ad Scrutinia non accesserint, perinde punientur, ac ij, qui ad hanc Synodum nullâ causâ legitimè impediti, venire neglexerunt,

Publicato Decreto Scrutinij.

Scrutatores maximè ij, quibus assignata fuit ultima pars Cleri, uti Decanatus Knyszynensis, Augustoviensis, Bobruyscensis, Radoszkowiensis &c: Scrutandi, accesserunt ad Capellas, & ibi juxta tabellas sibi datas à Secretario, instituerunt examen, seu Scrutinium.

68. Secretarius verò incepit Vocationem Cleri ex libro ad id specialiter præparato, vocando ex suggestu 1mò. Illustrissimos Episcopos, & Reverendissimum Capitulum Cathedrale. 2dò. Perillustres Abbates, & Præpositos Infulatos. 3tiò Clerum Cathedralem 4tò. Clerum Urbanum. 5tò deniq; Clerum foraneum, incipiendo à Decanatu Vilnensi &c.

69. Secretario vocante Clerum, Notarius Synodi in Catalogo notavit calamo absentes. Unusquisq; vocatus respondit clarâ voce: *Adsum*, & Illustrissimo exhibuit debitam reverentiã.

70. OEconomus ad mensam, remotiori in loco, ab Illustrissimo Episcopo sedens, recipiebat Synodaticum, si quis illud contribuit; & notavit solventes in libro suo.

71. Vocatione Cleri ob pluralitatem vocandorum in Crastinum limitatâ, datum erat signum campanulâ Sacristiæ, ut

relicto Scrutinio redirent omnes ad ſua loca.

Facto ſilentio, Secretarius ex ſuggeſtu indixit pro ſequente die Officium mortuorum his verbis.

DECRETUM X.
De Officio Mortuorum.

72. NE Defunctorum etiam in Domino, Fratrum noſtrorum, omnem videamur depoſuiſſe curam; ideò pro Sacerdotibus, & Clericis, qui poſt ultimam Synodum obiêrunt, ſolemnem fieri commemorationem, craſtinâ die volumus, pro quibus, ut ſinguli Presbyteri Miſſam numero 1mo, in Miſſali poſitam cum Oratione: DEUS qui inter Aplicos Sacerdotes &c: abſolvant, diſponimus, & mandamus.

Deinde Seſſionem ſecundam denuntiavit.

DECRETUM XI.
De Seſſione ſecunda

73. DEcernimus quoq; & indicimus Seſſionem ſequentem craſtinâ die fore, tempore matutino horâ 7mâ, pro qua, ut omnes, audito pulſu Campanæ majoris, ad Eccleſiam Cathedralem conveniant, præmonemus.

Promotor 2dò inſtitit contra contumaces abſentes, & pro rogitu Notarij modo ſupra expreſſo à numero 57.

Præfectus Cantûs ſtans in ſuo loco ad cornu Evangelij cantavit: *Orate*, tum Illuſtriſſimo Epiſcopo, & alijs omnibus

genuflexis ad orandum; proposuit capita orationis mentalis in tenore sequenti.

I.

74. ORATE *Fratres charissimi, & corporibus prostrati, mentes ad cælum erigite, suppliciter deprecantes, ut DEUS, & Dominus noster veniam peccatorum concedat, errata & delicta, quæ in Clericali disciplina, & Officijs Sacerdotalibus, multipliciter commisimus, condonet.*

Psal: Confitebor tibi Domine in toto corde meo. 110.

II.

75. ORATE *sine intermissione Patrem misericordiarum, & DEUM totius Consolationis, quem esse in medio Nostri piè credimus, ut nobis Spiritûs S. dona largiri dignetur, quatenus ejus gratiâ adjuti, dignè ambulantes vocatione nostra, quâ vocati sumus, Sacramenta ritè administremus, verbum DEI fructuosè prædicemus, animas sollicitè curemus, religiosè vivamus, in patientia possideamus animas nostras.*

Psal: Deus misereatur nostri. 66.

III.

76. ORATE *pro Ecclesia Sancta DEI, toto orbe terrarum diffusa, ut DEUS, & Dominus noster eam custodire, & gubernare dignetur, una cum Famulo suo Papa nostro Clemente, totoq; Cardinalium Collegio, ac universo Spirituali statu.*

Psalm: DEUS in nomine tuo Salvum me fac. 53.

77. Incipiebat quodlibet caput quo ad tonum per notas *Fa, mi, re, Fa fa, vg: Fratres charissimi &c:* terminabat per *Fa, re.* In fine orationis, manente Clero genibus flexis, Episcopus surgens de more, benedixit eidem solemniter sinè Indulgentijs

ta-

tamen. Receffit ex Ecclesia Cathedrali cum Cappa: ex Clero alij ad sua hospitia, alij ad continuationem Scrutiniorum, alij ad judicia Querelarum, post Sessionem limitatam, se contulerunt.

Finis Sessionis Primæ.

SESSIO II.

78 Die 4tâ Februarij, summo manè dato signo campanâ, convenit Clerus ad Ecclesiam Cathedralem, ubi cantatus erat Officij Defunctorum unus Nocturnus, ob temporis brevitatem, tempore cujus, privatæ Missæ De Requiem, cum unica oratione: *DEUS qui inter Apostolicos*, Epistolâ, & Evangelio, ut in Missali 1ma Missa (Gav: pag: 50. num 2.) celebrabantur continuò.

79, Descendit Illustrissimus Cappâ indutus, ad Ecclesiam Cathedralem, assistente sibi VV. Capitulo, cum solitis, aspersione, & oratione mentali, ante majus Altare.

80 Cantata fuit Missa ab Illustrissimo pro Defunctis cum unica Oratione, ut dictum immediatè, in qua observabantur omnia, ut in Missali & Cæremoniali.

81. Finitâ Missâ, instituta est Processio Generalis pro defunctis, ut in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, cum solitis, incensatione, & aspersione; Illustrissimus Episcopus tunc indutus erat amictu, albâ, Stolâ, & Pluviali coloris violacei cum Mitra.

In Processione processit Reverendissimum Capitulum, Vicarij, & soli Decani, cæteris manentibus in suo loco, ob angustias loci. Post Processionem facta est de more absolutio in loco solito.

Subdiaconus tenebat crucem, & Acolythi candelabra ad caput panni contra Episcopum; interim à choro cantabatur Respon-

ſorium: *Libera me*, & reliqua (uti aſperſio, & incenſatio) executioni mandata de more. *Oratio*: *DEVS qui inter Apoſtolicos*. Tum duo Vicarij Eccleſiæ Cathedralis cantârunt. *Requieſcant in pace*: & amotus pannus.

82. His peractis Illuſtriſſimus Epiſcopus mutavit paramenta: aſſumendo ea in colore rubro. Canonici item ut heri Dalmaticis pariter coloris rubri parati fuerunt, tum cum baculo aſcendit ad Faldiſtorium, juxta inferiorem gradum ſibi paratum, ut heri annotatum.

Diaconus cantavit *Orate*, & genu flectentibus omnibus, Illuſtriſſimus Epiſcopus incepit genuflexus Antiphonam, præintonante ſibi uno ex Vicarijs Cathedralibus, *Propitius eſto* ſine Mitra: quâ finitâ ſurrexerunt omnes, & ſedentes tecto capite, cantârunt Pſalmum: *DEVS Venerunt Gentes &c*: alternatim usq; ad repetitionem Antiphonæ incluſivè.

83. Poſt Antiphonam repetitam, Illuſtriſſimus Epiſcopus depoſitâ Mitrâ ſurgens, & ſtans verſùs Altare, dixit: *Oremus*: Miniſtri: *flectamus genua*, *levate*. *DEVS qui nos* ut in Pontific: &c: dictâ hac Oratione, ut heri, aſcendit ad planum Altaris, ad locum ſibi præparatum, & ibi ſedens, benedixit incenſum, & Diaconum, ibiq; ante ſedem ſtabat tenens baculum, dum cantabatur Evangelium, & oſculatus eſt librum à Subdiacono porrectum, & incenſatus à Prælato, ut heri, tum genuflexus incepit: *Veni Creator* ut heri. Poſt decantatos, 4. Verſus, ſurrexit cum omnibus, & ſtetit usq; ad Concluſionem, interim Oſtiarij excluſerunt Laicos ex Eccleſia, & januas occluſerunt, ut heri.

Hymno dicto, Illuſtriſſimus ſedens cum Mitrâ, allocutus eſt Clerum: *Venerabiles &c*: ut in Pontific: & habitus eſt ſermo per Vicarium Generalem.

84. Quo expleto, inſtitit Promotor pro Electione Examinatorum, Iudicum, & Teſtium Synodalium in hæc verba:

Illu-

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

SAcrosanctum Concilium Tridentinum inhærendo Constitutionib9 Bonifacij VIII. decrevit, ut, cùm Diœcesana Synodus celebratur, sex ad minùs ab Episcopo, vel ejus Vicario, Examinatores nominarentur, quorum tres ab Episcopo eligendi, simul cum Eodem ad Ecclesias Parochiales Promovendorum, Examen instituant. Mandavit ampliùs, eligi, Quibus dignitate aliqua, Personatu, aut Cathedralis Ecclesiæ Canonicatu fulgentibus, præter locorum Ordinarios, causæ Ecclesiasticæ, & Spirituales, ad forum Ecclesiasticum spectantes per Apostolicæ sedis Literas, aut Legatos committi possint: sicut etiam viri probatæ vitæ, juxta Sacrorum Canonum præscriptum in Testes Synodales admittendi sunt: quapropter Ego hujus Synodi Promotor, humillimè peto, ut à Celsitudine Vestra proponantur ij, quos ad prædicta peragenda possit hæc Sancta Synodus designare.

85. Mediante decreto suæ Celsitudinis, Secretarius ascendens suggestum, legit primò constitutiones Sacrosancti Concilij Tridentini Session: 25. de refor: Cap: 10. § *Quoniam ob malitiosum*, & Bonifacij VIII. ex Corpore Juris de rescriptis in 6to incipit: *Statutum* De Judicibus Synodalibus Subjungens: *Vt igitur ejusmodi Decreta executioni mandentur, deputamus pro Iudicibus Synodalibus, quibus causæ à S. Sede Apostolica, vel ejus Nuntiatura delegabuntur judicandæ, sequentes Personas, quæ sequuntur.*

JUDICES SYNODALES.

86. Illustrissimus Reverendissimus Dominus ALEXANDER HORAIN, Episcopus Smolenscensis, No-

minatus

natus Samogitiensis, Archidiaconus Prælatus Vilnensis.

Illustrissimus Reverendissimus Dominus MATHIAS ANCUTA, Episcopus Misinopolitanus, Nominatus, Coadjutor, Suffraganeus, Custos Prælatus Vilnesis, Referendarius M. D. L.

Illustrissimus Reverendissimus Dominus CAROLUS PANCERZYNSKI, Episcopus Hieropolitanus Suffraganeus Albæ Russiæ, Cantor Prælatus Vilnensis, Notarius M. D. L.

Perillustris Reverendissimus Dominus BOGUSLAUS CORVINUS Gosiewski, Decanus Prælatus Vilnensis.

Perillustris A. R. D. CHRISTOPHORUS BIAŁŁOZOR, I. V. Doctor, Canonicus Vilnensis.

Illustrissimus Reverendissimus Dominus LUDOVICUS OGINSKI, Nominatus Episcopus Smolenscensis, Canonicus Vilnensis.

Perillustris Reverendissimus Dominus GEORGIUS ANCUTA, I. V. Doctor, Canonicus, & Officialis Generalis Vilnensis.

Perillustris A. R. Dominus ALEXANDER ZEBROWSKI, S. Th: & I. V. Doctor, Archidiaconus Albæ Russiæ.

Illustris A. R. Dominus IOANNES TOŁ-

SCI-

SCIKIEWICZ Canonicus Smolenſcenſis Protonotarius Apoſtolicus, Parochus Vilnenſis.

87. Poſt Eorum Nominationem quærens ex Clero: *Placentnè Vobis?* qui reſpondit, *Eos ſibi placere.* Tum legit ulteriùs ex Seſſ: 24. de reform: Cap: 18. Concilij Trid: Paragraphum: *Examinatores &c:* ſubjungens: *Hujusmodi igitur Sanctionibus obſequentes, proponimus Vobis Viros, pietate ac doctrinâ præſtantes, qui examinatorum Officio fungantur, quoad altera Synodus habebitur.*

Examinatores Synodales

88. Perilluſtris Reverendiſſimus Dominus GEORGIUS CASIMIRUS ANCUTA, I. V. Doctor Canonicus & Officialis Generalis Vilnenſis.

Perilluſtris A. R. D. IOANNES BYCHOWIEC, Cancellarius Diœcesanus.

Perilluſtris A. R. D. ALEXANDER ZEBROWSKI S. Th: & I. V. Doctor Archidiaconus Albæ Ruſſiæ.

A. R. P. PETRUS PUZYNA, Soc: IESU Theologus noſter.

Illuſtris A. R. D. PETRUS PROCEWICZ S. Theol: Doctor Canonicus Regularis Lateranenſis,

A. R. P. IACOBUS CIBONI, Præpoſitus Miſ: Domûs Vilnenſis.

A. R. P. PLACIDUS KNIECZON Ordinis Prædicatorum.

Publicatione completa, quæsivit: *Placentnè vobis?* & respondit Clerus: *Placent:* Subdidit deniq; .

De Testibus Synodalibus.

DECRETUM XII.

89. VEtus est consvetudo legitimè introducta, ut in singuls Diœcesanis Synodis certæ Personæ, vitâ & moribus graves, ac probatæ virtutis delegerentur, quæ sedulò invigilarent, & animadverterent: an aliquid in Vrbe, vel Diœcesi sit, quod corrigi, emandarivè debeat, ac si quid tale cognoscerent, ut Nobis, vel Vicario nostro Generali, cum summa integritate deferrent ac significarent.

Nê igitur hoc Sanctum institutum in nostra Diœcesi omittatur, pro hoc Officio in singulis Decanatibus Illustres A. RR. DD. Decanos designamus, & deputamus.

90. Post lectionem Subjungens: *Placetnè hoc Vobis?* Respondente Clero: *Placet*, Primus Prælatus stolâ supra Rocchetum & pluviali rubri coloris indutus, præcedente Magistro Cæremoniarum, comitantibusvè quatuor Clericis cum intortitijs accensis, detulit Sacras Reliquias D. Stanislai Episcopi & Martyris ex Sacristia ad Illustrissimum; qui assurgens cum Clero apprehendit illas utraq; manu, deponendoq; in gremio consedit cum Mitra, Et Secretarius ex suggestu vocavit Illustres Adm. RR. DD. Decanos ad præstandum Iuramentum dicens: *Prodeant in medium Illustres Adm. RR. DD. Decani omnes, & genuflexi præstent juramentum, de fideliter adimplendo suo Officio, juxta dispositionem juris Canonici*

nici, ut videre est apud Pirrhing tit: 24. de Officio Archipresb: lib: 1: N. 12. pag: 508. Mox Illustres A. RR. DD. Decani prodeuntes in medium, ibidemq; flexis genib9, præstiterunt juramentum in formula sequenti, quam prælegit unus ex lectoribus Decretorum.

Forma juramenti Decanorum.

91. *EGo N. N. spondeo ac juro, quòd nullum Confratrem Parochum, aut quemvis Beneficiatum, vel Eorum Vicarium, sivè quovis titulo Presbyterum, aut Clericum, penes quamvis Ecclesiam in meo Decanatu existentem, ex odio, aut aliquo malo prætextu, ac colore quæsito, sed ex charitate, & necessitate correctionis, ac debito Officij Decanalis exigente, ad te Illustrissimum & Reverendissimum Episcopum, aut Vestræ Celsitudinis Officium deferam. Tum qvòd derelicta post intestatos Parochos & quosvis Clericos fideliter conscribam, & conscripta intactè restituam, ad quem de jure: non immutabo res meas, aut alienas pro rebus melioribus defuncti intestati ponendo, neq; mihi quidquam ex derelictis usurpabo, aut alteri dabo, sine expressa licentia Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ. Item quòd ultimas voluntates Parochorum non infringam, neq; supprimam, imò contra suppressores agam, & illos propalabo, Item quòd sæpiùs visitabo annexas mihi ex vi Officij Decanalis, Parochias, earum Personas: Decreta & ordinationes ab Illustrissima Celsitudine Vrâ aut à Visitatoribus ejus in Visitatione Generali, pro statu meliori, & regimene Ecclesiarum factas, aut faciendas, fideliter exequar.*

De Vita & moribus prædictarum Personarum, & de alijs excessibus inquiram, ut Vestræ Celsitudini aut Officio ejus, ut gravitas excessuum postulaverit, puniendos deferam, Convocationes De-

canales instituam singulis annis, ordinationem S. Concilij Trid: & Vræ Celsitudinis fideliter exequar, sic me DEUS adjuvet, & hæ SS, DEI Reliquiæ.

Juramento expleto tetigerunt singuli Reliquias SS. & occupârunt loca sua, ubi quisq; sedit at Reliquiæ SS. eodem modo & ordine delatæ sunt ad Sacristiam,quo fuerant allatæ.

92. Examinatores declarati & acceptati, quia non omnes præsentes hîc & nunc adfuerant, ideo, ex mandato Illustrissimi Episcopi ijs injunctum est, ut privatim coram sua Celsitudine juramentum ad præscriptum SS. Concilij Tridentini præstarent.

Tunc Promotor institit pro legendis Decretis in Synodo his verbis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

CAvit Sacrum Concilium Tridentinum, ut quædam Decreta nominatim de residentia, in singulis Synodis relegerentur, quare, ut unicuiq; facilè sit exequi, quod exequendum est,

Ego NN. Promotor Synodi suppliciter insto, ut quæ Celsitudo Vestra pro recta hujus Ecclesiæ gubernatione, aut jam Sancita renovare, aut noviter sancire judicaverit, unà cum Decretis de Residentia *promulgari iubeat, undè Clerus hîc præsens omnium observantiam, & in se recipere valeat, & præbere.*

Et Illustrissimus Episcopus delata sibi à Vicario Generali Decreta reddidit legenda Secretario: Qui ijs cum reverentia acceptis, ascendit iterùm suggestum, & legit 1mò. Decreta ex Conc: Trident: Sess: 6. Cap: 1. *Eadem Sacrosancta* & infra: *Omnes Patriarchalibus &c:* Item Ses: 23 Cap:

1. de

1. de refor: *Cum præcepto Divino*:& infra: *Nè verò ea* de Refidentia: Tum Conftitutiones in præfente Synodo enuntiandas & publicandas ad locum fibi defignatum, juxta ordinationem Illuftriffimi Domini.

93. Horâ competente Secretarius de Mandato fuæ Celfitudinis indixit Continuationem Seffionis tempore Pomeridiano futuram: & alia omnia expedita funt per Promotorem & Notarium Synodi uti annotatum á numero 56. ad n: 59.

Continuatio fecundæ Seffionis horis pomeridianis.

94. POft audientiam Querelarum, per Judices defignatos, in Palatio Epifcopali expeditam, defcendit Illuftriffimus Epifcopus cum fuo Capitulo ad Ecclefiam Cathedralem, in qua, peractis ijs, quæ juxta hefternam annotationem à n: 60. ad 61. adimpleri debebant, Promotor inftitit, pro Continuatione heri intermifforum, in tenore fequenti.

Illuftriffime ac Reverendiffime Domine.

QVoniam heſternâ die ob temporis anguſtias Vocatio Cleri, ejusdemq; Scrutinia compleri non poterant, Ideoq; Ego NN, hujus Synodi Promotor, inſtanter peto ſuam Celſitudinem, quatenus ea, quæ ſunt feliciter cœpta, continuentur, nè aliàs opus remaneat imperfectum.

95. Illuftriffimus Epifcopus delatorum fibi à Vicario Generali Decretorum mandavit Continuationem.

Secretarius acceptis ijs reverenter, ut heri, afcendit fuggeftum

legens aliquantum: tum resumpsit vocationem Cleri à Decanatu Wilkomiriensi, & continuavit ad Słonimensem: interim, ubi incepit vocatio, mox Præfecti Scrutinij, conferentes se ad Capellas designatas, reassumpserunt Scrutinia, maximè eorum Decanatuum, qui heri erant vocati, continuantes illa, usq; dum campanulâ Sacristiæ signum daretur.

96. Dato signo, convenientibus omnibus, Secretarius Indixit Sessionem 3tiam, promotor institit pro Contumacia Absentium & pro rogatu Notarij ut supra, à n: 57: tum Præfectus cantûs proposuit, ut heri á n: 73. tria Capita Orationis in tenore sequenti.

I.

97. *ORATE Fratres charissimi DEUM Patrem omnipotentem, ut respiciat in faciem Christi sui, ac ejus intuitu meritorum, super Familiam suam, pro qua idem Dominus noster non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum, respicere dignetur.*

Psalm: 83. Quàm dilecta tabernacula tua

II.

ORATE *Filium DEI Unigenitum Dominum messis hujus, ut mittat operarios in messem, viros secundùm cor suum, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ ejusdem IESU Christi.*

Psalm: 22. Dominus regit me & nihil mihi deerit.

III.

ORATE *Spiritum Sanctum Dominum & Vivificantem, ut ignem sui amoris in cordibus nostris accendat; quatenus gratiam per impositionem manuum Presbyterij acceptam, nunquam extinguamus, sed eam cæteris communicantes, verbo & exemplo, cunctis lucere possimus ad salutem & vitam æternam.*

Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

Ora-

98. ORationem ſubſecuta eſt benedictio ſolennis Epiſcopi ut heri.

Poſt ſecundam Seſſionem Præfecti Scrutinij convenientes ad Palatium Epiſcopale, factâ ſecum collatione, retulerunt Illuſtriſſimo Epiſcopo, in præſentia Vicarij Generalis, & Secretarij, ea; per quæ communius peccatur contra diſciplinam Clericalem, ideoq; interpoſitæ ſunt aliquæ Conſtitutiones, publicandæ eo fine, ut huic malo, ante Synodi dimiſſionem conſuleretur.

Finis Seſſionis ſecundæ.

SESSIO III.

99. HOrâ deſignatâ, audito pulſu Campanæ majoris, congregatus eſt Clerus ad Eccleſiam Cathedralem, deſcendente mox ad eam Illuſtriſſimo Epiſcopo, cum ſolitis aſperſione & oratione, ante. V. Sacramentum

Tempore nonæ lectæ, ſumpſit apud ſedem Paramenta in colore albo, & celebravit Miſſam de *SS. Trinitate* cum addita *Oratione pro gratiarum actione* ſub duplici clauſula, in qua in cenſatus eſt totus Clerus, ut in prima Miſſa, ſine benedictione tamen in fine, utpotè dilatâ ad finem Seſſionis.

100. Miſſâ finitâ mutavit Colorem album in rubrum, & cum Diacono, ac ſubdiacono in dalmaticis ejusdem Coloris, invitante ad Orationem Diacono, per verbum decantatum: *ORATE*, acceſſit ad Altare, & ibi depoſitâ Mitrâ procumbens in Faldiſtorio ante infimum gradum, incepit Antiph: *EXAVDI*, proſequentibus Vicarijs Cathed: usq; ad finem, tùm ſedit verſus ad Clerum, & expleta ſunt omnia, ut heri n: 83. annotatum, exceptis Orationibus, quæ erant propriæ pro Seſſione 3. in Pontific: Sermonem habuit Perilluſtris A. R. D. Iacobus Szczuka, Canonicus Vilnenſis, Præpoſitus Grodnenſis.

101. Immediatè post sermonem, Promotor instititit pro lectione eorum, quæ supererant, his verbis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Cùm neq; in præcedenti Sessione, etsi longiore, Decreta omnia hujus Synodi legi & publicari potuerint; Ideò Ego N N. hujus Synodi Promotor instanter rogo suam Celsitudinem, quatenùs, antequàm Synodus dimittatur, omnia & singula, quæ desiderantur, adimpleri valeant.

Et Illustrissimus Episcopus, delatas sibi à Vicario Generali Constitutiones, tradidit secretario ad legendum usq; ad finem; quas & legit ex suggestu.

102. Completâ lectione, Procuratores Cleri, præmisso brevi accessu, exposuerunt illius desideria, porrectis eo fine supplicibus libellis Illustrissimo Episcopo, & Secretarius ex mandato suæ Celsitudinis indixit Continuationem Sessionis à prandijs, rejecto ad eum terminum Procuratoribus Responso.

Reliqua expedita juxta annotationem à n: 5. 6, ad 59.

Continuatio Sessionis 3tiæ horis pomeridianis.

103. IMmediatè post prandium audiebantur Querelæ in Palatio Episcopali per Judices designatos in forma superiùs expressa n: 18 & seqq: tum horâ competente descendit Illustrissimus Episcopus ad Ecclesiam Cathedralem in Assistentia Cleri Cathedralis, accedendo ad continuationem Sessionis modo supra expresso n: 60. & 61.

104.

104. Promotor institit pro vocatione reliquorum Decanatuum, & vocavit eos Secretarius usq; ad finem Catalogi, absentes per Notarium notati: interim Scrutinia in Capellis continuabantur. Secretarius verò expedita vocatione aperuit sensum Illustrissimi Episcopi, & fecit declarationem ac resolutionem super propositionibus, ab universo Clero per suos Procuratores in supplicibus libellis porrectis: quibus omnibus ritè peractis, instit Promotor pro Synodi Conclusione his verbis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

105. *Cùm omnia, & singula, quæ in hac Synodo agenda, & tractanda erant, cum DEI gratia ad optatum finem perducta sunt, ideò Ego NN: hujus Synodi Promotor, demissè suam Celsitudinem rogo, ut ipsam Synodum concludere, & cum benedictione dimittere velit.*

Secretarius de mandato suæ Celsitudinis legit Decretum de Synodi Conclusione in hac forma.

DECRETUM XIII.

AD Fortunatum Synodi Dioecesanæ finem, DEO O: M: adjuvante, pervenimus, quapropter eam, cum gratiarum actione Divinæ Bonitati, concludendam esse decernimus, prout concludimus, & conclusam enuntiamus.

106. Promotor instititit ultimò pro rogatu Notarij hoc modo.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

UT eorum, quæ Divinâ favente clementiâ, in hac Vilnensi Synodo sub felicissimis auspicijs suæ Celsitudinis, ad Omnipotentis DEI gloriam, animarumq; salutem,

acta sunt, legitimum testimonium in omne tempus habeatur; Ego NN: hujus Synodi Promotor, humiliter insto mandari Perillustri A. R. Domino Ioanni Bychowiec, Cancellario Diœcesis, Notario Synodi; ut unum, vel plura, publicum, & solemne de his Synodalibus actionibus, prout moris est, instrumentum conficiat.

107. Pronuntians Illustrissimus Episcopus: *decernimus ita fieri.* Respondente Notario se facturum: incepit allocutionem Cleri circa decretorum observantiam ex Pontif: *Fratres dilectissimi* explanando illam proprio sermone ut infra, quo completo Ostiarij aperuerunt portas Ecclesiæ: & decantatum est *Te DEVM laudamus* pulsantibus campanis, in omnibus Ecclesiijs totius Urbis, omissâ tandem processione circa ambitum Ecclesiæ,ob äëris tempestatem, incepit Illustrissimus Pontifex orationem ex Pontific: Romano Stans: Capite aperto: *Nulla est Conditio.* Præfectus verò Cantûs, dalmaticâ rubri coloris indutus proposuit tria Capita orationis ut nudius tertius n: 73. & heri:

I.

ORATE Fratres Charissimi pro Serenissimo Rege nostro Augusto, Pro Principibus, Senatoribus, & Vniverso Populo Regni hujus, ac subjectarum ei Provinciarum; ut cum pace & salute communi, munus suum unanimes exequantur, recta semper sentiant, & operentur; Ecclesiæ Defensores se præstent, & vitam sempiternam mereantur.

Psalm: 116. Laudate Dominum omnes gentes

II.

ORATE & pro Illustrissimo Antistite Nostro Constantino, ut Divino Spiritu illustratus & roboratus, unà cum Venerabili Capitulo, ac universo Clero, & Populo sibi Commisso æternæ beatitudinis præmia consequatur.

Psalm: 132. Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini

III.

ORATE toto cordis affectu pro afflicto statu Regni nostri, ut DEUS & Dominus avertat à nobis Imminentia pericula, hostiles compescat insultus, Orthodoxam conservet Fidem, peccata eliminet, augeat devotionem, concedat abundantiam fructuum terræ, ad eorum felicitatem.

Cant: Nunc dimittis servum tuum Domine Luc: 2. 108. Secretarius ascendens suggestum legit.

DECRETUM XIV.
De Synodi dimissione.

AD DEI Omnipotentis laudem & Gloriam, Beatissimæ semper Virginis DEI Genitricis Mariæ, singularem Cultum, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, nec non SS. Stanislai Martyris & Pontificis, Ladislai, & Casimiri Confessorum, ac aliorum Sanctorum & Sanctarum, hujus inclytæ Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Patronorum venerationem, Synodum præsentem feliciter peractam, dimittendam decernimus, ac propterea cuiq; qui Scrutinia sua peregit, & vocationi præsens aderat, eundum esse ad proprias Ecclesias, post dictum *Nobis Vale* in Palatio, denuntiamus: Adhortando interim Fraternitates vestras, ut tales vos præbeatis in ministerio vestro, quales maximè decet Sacerdoti, ab omni mundanorum cura segregato; illudq; maximè cùm redieritis præstandum erit, ut populus omnis, vos, ab hac Synodo non mediocrem fructum repor-

tâsse intelligat: id fiet, si novo Spiritûs S. lumine illustrati, quæ magna Synodorum est vis ac virtus, cæteris in omni opere vrō, in posterum prælucere studueritis, & in omni parte Officij vestri omnem diligentiam adhibueritis.

Quodsi aliqui hodiè Scrutinium non expediêrint antequàm illud absolvant, hactenus non discedant: pro quo tempus post conclusionem designatum hodiernum vespertinum, & dies crastina integra.

Iudicia querelarum immediatè post deductionem Illustrissimi D. ad Palatium instituentur, quæ etiam crastinâ die ad causarum inscriptarum conclusionem durabunt.

109. Omnibus tandem genuflexis Illustrissimus Episcopus dedit solennem benedictionem, tàm Clero, quàm Populo; disponente ad eam uno ex Prælatis per verba: *humiliate vos ad benedictionem* & attingente baculum Pastoralem. Hoc loco publicatæ sunt Indulgentiæ 40. Dierum.

Diaconus cantavit: *Recedamus in pace*; Respondit Clerus, *in Nomine Christi*, & pulsata Organa cum varij generis Musica in choro præparata, similiter & campanæ in omnibus Ecclesijs.

110. Illustrissimus Episcopus depositis paramentis, ac factâ oratione ante Altare majus, reductus est à toto Clero ad Palatium, eo Ordine, quo prima fuerat Processio, & in eodem habitu, in quô primâ die ad Ecclesiam descenderat; scilicet Cappâ indutus.

111. Ingressus Palatium, ascendit supremum gradum ante Portam Curiæ, considens ibi in Faldistorio, super tapete, versùs Clerum, ordine per Decanatus stantem, audivit gratiarum actionem, & simul valedictoriam per unum ex Clero habitam, tùm omnes & singulos per Decanatus excepit ad Osculum Pacis.

Finis Sessionis Ultimæ.

PARS TERTIA
Decreta & Sanctiones Synodales Complectens.

CONSTANTINUS CASIMIRUS BRZOSTOWSKI.
DEI & Apoſtolicæ ſedis Gratiâ Epiſcopus Vilnenſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. Prælatus Domeſticus, & Pontificij ſolij Aſſiſtens.

112. CUm experientiâ conſtet, multitudine legum indies ſubnaſcentium, obrui memoriam, hebetari obſervantiam, & contemptum, atq; oblivionem earum induci: nè Sanctiſſimæ quoq; Sanctiones, & Decreta hujus noſtræ Synodi, in ſubverſionem potiùs diſciplinæ Eccleſiaſticæ ipsâ cedant copiâ, quàm in renovationem; brevibus comprehendere ſtatuimus, quod in longævam poſteritatis obſervantiam cupimus transmittere.

113. Inprimis ergò, nè jam Sancita iterum cum faſtidio repetamus legentium; Epiſtolam noſtram Paſtoralem, anno Domini 1710. emanatam reaſſumimus, eiq; vim ac robur, Conſti-

tutionis Synodicæ, authoritate præsentis Synodi tribuimus, ut Universam Diœcesim nostram non minùs obliget, quàm si in Synodo Diœcesana, contenta ejusdem Decreta fuissent. Inveniuntur absq; dubio, qui illam non obiter legunt, Disciplinæ Ecclesiasticæ medullam, morum laudabilium, & rituum probatorum nucleum inibi contineri, cum exquisita Romanarum decisionum & quidem novissimarum peritia. Qui verò eandem in usum constanti executione deducunt, statum quoq; Ecclesiarum suarum reflorescere, atq; instar Aquilæ innouari, experiuntur. Hortamur proinde, & in eo amore, quem animarum suarum saluti, & commissarum Ecclesiarum solicitudini quisq; debet, obligamus universum Clerum nostrum, ut omnes, ac singuli, lectionem ipsius Epistolæ quotidianam, familiaremq; sibi faciendo, ad eam, veluti ad regulam se, suaq; omnia componant. Scribebamus quidem illam turbatissimo Patriæ statu, cùm & arma undiq; obstrependo, legibus reverentiam, & efficaciam adimerent; & pestis atrocissima grassando, ipsos Auditores factoresq; legibus subduceret: minimè tamen dubitantes, eam tranquilliori profuturam ævo. Si igitur, cùm conderentur illæ leges, observari non poterant, observentur jam nunc; cùm per DEI gratiam ex illo calamitatum diluvio eluctatæ res, intra suos alveos, quodammodo se receperunt.

114. Debemus quoq; hunc respectum Prædecessoribus Nostris, ut quæ illi laudabiliter constituerunt, nostro etiam calculo confirmemus, & momentum ipsa ratificatione addamus. Proindè modum, & ordinem boni regiminis à Nicolao Stephano Pac Prædecessore nostro Sancitum Anno 1682. & Decreta Synodi celebratæ, sub Alexandro Kotowicz Antecessore nostro pariter innovamus, in vigoremq; ac valorem, quem à principio habuerant, asserimus. Atq; horum jam satis, superq; esse poterat; nisi executio inculcanda, atq; omni optimo modo restaret promovenda, cæteraq; nonnulla declaranda, quæ vel non plenè in Epistola nostra Decessorumq; nostrorum statutis exprimuntur;

vel

vel quæ, ob temporum proximè præteritorum malignitatem, Sacrorum Canonum oblivione, aliovè abuſu tàm damnabilia irrepſerunt, quàm laudabilia obſoleverunt; novarum Sanctionum auxilio, ſeu diſſipanda ſunt, ſeu inſtauranda.

CAPUT imum.

De Executione Epiſtolæ Paſtoralis, & aliarum Sanctionum Synodalium auxilio Decanalium Congregationum.

115. FRuſtra leges conduntur, niſi & ſerventur. Servari autem nequeunt, niſi in memoria tenaci vigeant. Hoc verò ipſum ut obtineatur, neceſſe eſt quospiam deſignari, qui earundem legum obſeruantiam efficaciſſimis quibusq; medijs promoueant.

116. Illuſtres ergò AA. RR. Dominos Decanos Foraneos jure, & praxi Eccleſiæ deſignatos; quos in hunc finem titulis inſignioribus decoravimus, quatenus ejs majorem foris, maximè apud ſubjectos auctoritatem conciliaremus, in Conſcientia obligamus; ut Congregationes Decanales ſaltem bis in Annum, temporibus ſibi benè viſis inſtituant, non longè à quatuor temporibus Anni, in quibus prælegantur Capita Epiſtolæ Paſtoralis ex Ordine, ut ſcilicet per Annum totius Epiſtolæ cum appendice textus percurratur. Ad ſingula vero capita, eorumq; Paragraphos ſubſiſtendo, fiat disquiſitio, an, & quomodo obſerventur? tum ratio ineatur efficax, quomodo deinceps obſervari queant. Undè & ſequenti Congregatione in primis disquiratur an illud

jam

jam executioni ſit mandatum ? de quo in priori lectum, & actum fuerat. 2dò. legantur cum breviſſima ad ſingulos explicatione Caſus reſervati tam Papales ex Bulla Cænæ, &c: quàm Epiſcopales. 3tiò. legantur pariter impedimenta Matrimonij, tàm dirimentia, quàm impedientia. Item index ſententiarum in praxi pro hibitarum, quorum tabula in Calce Synodi exhibetur.

117. 4tò. Fiat Conferentia de Caſibus Conſcientiæ, unum, alterumvè Caſum ex ijs, qui maximè occurrere ſolent, resolvendo. 5tò. Si qui Proceſſus à Nobis emanaverint, accuratè perlegantur, intellectoq; quid ſonent, ac velint, disquiratur: an Viâ Cursoriâ ritè ſint communicati, & ad executionem deducti ? cujusvè vitio aliquid negligentiæ ſit commiſſum? ab eaq; negligentia mutuâ ſe cohortatione deſveſaciant. 6tò. Conſultationem inſtituant de ſtatu Eccleſiarum, OEconomiarumq; ſuarum, ſemper in meliùs promovendo.

118. Cæterùm quidquid difficultatis occurrerit in rebus majoris momenti, ille Parochus ad Nos, ſive ad Officium noſtrum deferat, in cujus Parochia illa congregatio celebrabitur. Celebrentur verò Congregationes per Ordinem, quem ſibi primò apud Decanum præſcribent.

CAPUT II.
De Sacramentorum adminiſtratione.

SEptem in Eccleſia S. Sacramenta credimus, & Confitemur: de ſingulorum verô ritibus, Cæremonijs, alijsq; Circumſtantijs cùm in Epiſtola Paſtorali abundè præſcriptum ſit, hæc in particulari adduntur, ſeu declarantur.

§

§ Imus.

De Sacramentis Baptiſmi & Matrimonij.

119. INnovamus omnium anteriorum Conſtitutionum rigorem, ſtrictè prohibendo, tam, nè infantes in ædibus privatis baptizentur, quàm nè in ijsdem, ſed in facie Eccleſiæ matrimonia contrahantur. Licet verò infirmitas Infantium attendenda ſit, nec debilis ætas, mortis utriusq; periculo obijcienda; advertendum tamen, nè eadem infirmitas obtendatur, quando defacto non eſt. Item, licèt prolibus Magnorum Principum, pro qualibus Regni noſtri Senatores accipiuntur, aliquid in hoc genere indulgeri ſoleat, non ſtatim tamen hic Principum titulus ad quosvis notabiliores, absq; ſcitu noſtro eſt extendendus, niſi fortè ad proprios Eccleſiæ ſuæ Fundatores & Collatores.

120. Ab ijsdem Sacramentis ut ſpontanea honoraria non reſpuenda, ita nihil omninò à non valentibus, vel non volentibus exigendum; nam ejusmodi exactio, & Exactores ipſos depretiat, ac infamat, & ſalutaria Sacramenta plebi reddit odioſa, cum magno periculo damnationis, & Diſſidentium in Religione ſcandala ciet, atq; ſubſannationes, nec ſine quadam Simoniæ ſpecie. Quod quidem turpe lucrum licèt omnes omninò Curati cavere, & horrere debent, illi tamen vel maximè, quibus Fundatores, juſtos reditus aſſignando, illud exactoriæ acquiſitionis genus, præcluſum eſſe voluerunt.

121. Eâdem occaſione innovamus prohibitiones exactionum, ab introductionibus Neonuptarum, Puerperarumq; in Eccesias: & à loco ſepulturæ, ut absq; omni turpis lucri ſpecie, DEO Domino noſtro, animarumq; Saluti, intuitu ſolius denarij æterni ſerviatur.

§ II.

De Confirmatione, extrema unctione, & Viatico.

122. HOc maximè commendamus, atq; ſtatuimus; ut ad Confirmationis Sacramentum creditas ſibi animas Parochi, doctrinæ Chriſtianæ explicatione, inculcationeq́; benè præparent, atq́; ad ejus ſuſceptionem omni bonâ occaſione nondum confirmatos, manuducere curent. Ad extremam verò unctionem impertiendam, de vitâ periclitantibus promptos ſe, atq; expeditos exhibeant: idem faciendum cum viatico, atq́; ultimariâ in viam æternitatis expeditione.

123. Quod, ut cum majori decentia, & populi ædificatione adimpleant, ſint induti ſuperpelliceo mundo infra veſtem ſuperiorem, ſi fortè longius aggrediendum iter ad infirmum: Particula verô Venerabilis Sacramenti, incluſa in vaſculo argenteo intùs deaurato, cum operculo, involvetur corporali mundo, & deferetur in burſa, ſtolæ ex humeris dependenti, ante pectus Sacerdotis aſſutâ cum campanula.

§ III.

De Sacramento Pænitentiæ.

124. UT omnis error in ſubſtantia, circa valorem Sacramenti caveatur; jurisdictio in ſcriptis quotannis tempeſtivè renovanda, non poſt elapſum prioris cum tempore vigorem, ſub pænis arbitrio noſtro infligendis. Habenda caſuum reſervatorum Papalium, Epiſcopaliumq́; peritia, cum ſententijs prohibitis, juxta quas in praxi procedere non licet: impedi-

pedimentorum quoq; dirimentium, ac impedientium matrimonia: quorum omnium tabella sub fine istius libri exhibetur.

125. Porro cùm experientiâ compertum sit, ex malè administrato Pænitentiæ Sacramento, venenum porrigi, locò medicinæ, & Pænitentem sacrilegè aggrauari; defectu doctrinæ ante-confessionalis; ideò generaliter pro omnibus Confessarijs statuimus; quatenus, nemo eorum ad excipiendas Fidelium confessiones se conferre audeat, nisi primò intelligat suum Pænitentem, in principijs fidei, saltem necessitate medij requisitis esse instructum, nimirum: *quòd DEVS sit, & quòd quærentibus se sit Remunerator*: Item: *de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis*:

126. Quare consultissimum, imò necessarium judicamus, ante simplicium confessiones, præsertim, quæ in majori peraguntur frequentia, uti Paschali tempore, præmittendam omninò esse brevem doctrinam, tum de principijs fidei supra insinuatis, tum de modo & requisitis ad rectam Confessionem, cum adhortatione ad servandam sinceritatem, & Christianam simplicitatem, in aperienda conscientia, allato in eum finem, aliquo claro exemplo.

§ IV.

De Communione Paschali.

127. COmmunio Paschalis, quò cum majore perfectione, præ cæteris anni Communionibus, expediri deberet, eò sæpiùs, hinc temporis angustiâ & populi concursu, illinc Sacerdotum obstante inopiâ disturbari consvevit: Quare singulorum commoditati, in tam arduo negotio consulere volentes, secuti hac in parte aliarum Diæcesium praxim, tempus dictæ Communionis, à Dominica *Lætare*, 4tâ. Quadragesimæ, ad Dominicam 3tiam post Pascha inclusivè, authoritate præsentis Synodi prorogamus.

§ V.

De Sacramento Ordinis.

128. ILlud maximè cavendum eſt, nè ullus Fori ſæcularis rigorem ſubterfugiendo, Clericalem habitum induere præſumat, rebus compoſitis illum deindè poſiturus: collidit enim graviter jurisdictiones ejusmodi ſycophantia, & curſum juſtitiæ inhibet, & ſtatum ſanctiorem odijs, ſiniſtrisq́; interpretationibus exponit. Proindè contra ejusmodi ſimulatores, Officio noſtro procedendi juredamus negotium, nè cuiquam ſua fraus proſit.

129. Admonemus quoq́; Sacrorum Ordinum Candidatos, ut omnia impedimenta, ſeu ab jure, ſeu ab homine ſibi obijcienda, removeant à ſe tempeſtivè, ut ſecurè de illis denuntiationes publicæ, citra periculum malignæ impeditionis affigi poſſint. Quæ denuntiationes licet hactenùs diſſimulatæ ſint, ob Cleri miſerabile per peſtilentiam excidium, melioribus tamen temporibus, & ſuppleto utcunq́, Eccleſiarum miniſterio, DEO adjuvante reaſſumi debebunt, ut Sanctitati Ordinis Eccleſiaſtici quàm maximè conſulatur, dum nonniſi electi, & undequaq́; probati operarij, ſine ullo nævo, ac labe, in Vineam Domini intromittentur.

CAPUT III.

De prædicatione verbi Divini &c.

130. AD Conciones artificio Oratorio inſtituendas, Paſtorem nullum ſua cogit obligatio: ſed à verbi Divini facienda ſemente, nullus eloquentiæ, nullus eruditionis, nullus temporis, familiaribus negotijs occupati excuſat defectus. Ad prædicandum ergo verbum DEI, Domini curati Eccleſiarum,

rum, libros idoneos habere curent, lingvâ plerumq; patriâ, idq; tales, ex quibus Auditores plus ædificationis, quàm curiosæ voluptatis percipere possint: talium Authorum conciones, si dicturi memoriæ tradere non possint, etiam ex libro in nomine Domini distinctè, clarèq; legant. Nemo illis ob hoc succensebit, quòd majorem fructûs Spiritualis, quàm proprij plausûs habeant rationem.

131. Ad doctrinam quoq; Christianam habeant accommodatum librum, qualis est Cathechismus Romanus, ex Decreto Concilij Tridentini, Canisij quoq; Cathechismus aut Bellarmini, vel certè Nucleus Cathecheticus P. Bernadini Mercatoris, ex talibus libris Auditores suos alloqui, examinare, & instruere cuiq; licet, si memoriæ propriæ non fidat. Nos quoq; brevi aliquod compendium cathecheticum in lucem dare curabimus, quod singuli Pastores animarum habere, atq; explicare teneantur.

CAPUT IV.

De Doctrina Christiana.

132. CUm indubitatum sit, plurimas Fidelium animas, præter gravia delicta, ob solam ignorantiam mysteriorum Fidei, necessitate medij requisitorum ad salutem, æternaliter perire; eamq; jacturam provenire ex doctrinæ cathecheticæ à Curatis omissione; ideò inhærentes dispositioni S. Concilij Tridentini, omnibus, & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, eorumq; Vicarijs, sub interminatione indignationis Divinæ, & excommunicationis pæna, in casu contraventionis huic decreto ferenda, præcipimus; quatenùs doctrinam cathecheticam, singulis diebus dominicis & festis instituant, pueros, & rudes, fidei rudimenta, & obedientiam erga DEUM & Parentes edoceant; completoq; Cathechetico opere, ora-

tionem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, numerum Sacramentorum, vernaculâ lingvâ cum populo cathechizato recitent, Actus fidei, spei, charitatis, contritionis adjungentes. Tempus disseminandi hanc S. Doctrinam, pupulumq; rudem instruendi, aptissimum est, sub tempus strenæ, visitando Parochianos: sed in Ecclesia, nullum commodius designari potest, quàm hora aliqua ante summum sacrum, vel post lectum Evangelium, locò concionis; si fortè illa non erit, nam ipsâ cathechismi auditione, meliùs ad Divinum Sacrificium animi præparantur.

CAPUT V.

De Divinis Officijs, cantu, librisq́; ritualibus.

134. INiquitas temporum Officiorum Divinorum Ordini, atq́; splendori multum derogâsse dignoscitur; nam per longas cessationes plerisq́; locis, in desvetudinem abivisse videntur: *Matutinum*, cujus tempus & modus in Epistola Pastorali præscribitur. *Aspersio* aquæ benedictæ super populum cum *processione* Parochiali, qualis pro singulis Dominicis in rituali Romano notatur. *Missa cum cantu chorali*, *Vesperæ* quoq́; diebus festis, utræq́; fermè oblivione perpetuâ jam damnantur. *Ritus Cinerum*, Officium *Hebdomadæ Sanctæ*, maximè sabbati majoris, & sabbati ante Pentecosten cum processionibus per Octavam Corporis Christi, etiam, ubi alioqui commodè, ad devotionem populi institui possent, culpabiliter omittuntur; atq́; pleræq́; istarum cæremoniarum ignorantur; triste per templa dominatur silentium, satisq́; putatur, si Missa utcunq́; pro populo perlegatur. Non possumus ulteriùs pati, tantum Cultus Divini, Fide-

Fideliumq; devotionis diſpendium; proindè auctoritate præſentis Synodi gravamus conſcientias RR. DD. Parochorum, ut iſtam abominationem deſolationis, ex loco Sacro amoveant, cantum firmum, ejusq; uſum, inter Divina Officia reſtitui curent, exiſtimentq; ſe fruſtra ſacerdotes eſſe ac vocari, niſi divinis ſacrificijs, & Officijs debitum ſplendorem reſtituant.

135 Ad hunc finem, qui non habent in ſuis Eccleſijs libros Rituales, eos ſine mora comparent, incipiendo à miſſalibus, quæ alicubi ita lacera, ac detrita inveniuntur, ut nequidem Miſſas ordinarias, dictas de ea habeant. Aut igitur Miſſalia, quæ adhuc reparari poſſunt, inſtaurari curent, adſcriptis ijs quæ vetuſtas detrivit, innovato quoq; Canone Miſſæ, & appoſitis miſſis novis, quæ utiq; non difficilè comparari poſſunt; aut ſi vetera non ſint reparationis capacia, nova de toto ſubſtituant. Agenda major, Graduale, Antyphonarium, & Pſalterium, Agenda deniq; minor templi Bibliothecam abſolvunt.

136. Cum verò libri per ſe vocales non ſint, conducantur peritæ cantûs, & commodâ voce præditæ Perſonæ, quæ non modò Officijs Divinis inſerviant, ſed etiam ſcholam cantûs Eccleſiaſtici ubiq; collapſi reſtituere poſſint.

137. Ad hanc curam cantûs choralis, non omittatur, ubi fuit in uſu, reducatur ubi omiſſa, inducatur ubi nondum uſitata fuit, devota conſvetudo, canendi Roſarium Marianum, Officium Immaculatæ Conceptionis B. V. M. Litanias Lauretanas, omniumq; Sanctorum cum alijs pijs Cantiunculis, ſive rotulis tempori ſervientibus: ad quem cantum ſvauiter, ipſa Nobilitas, ſexusq, devotior, cum teneriore ætate, non difficilè induci poteſt, ut tempore ſacri matutini in laudes Divinas reſonet, tempusq; illud totum, quod ante ſacrum Summum compotationibus, vanis, & ſæpè malis colloquijs traduci ſolet, pio cantu, in gloriam DEI conſumatur. Reſtituant & Organa ubi fuerunt, curentur ubi eſſe poſſunt: adhibeant verò Parochi illam ſolicitudinem, & ſolertiam, ad res cultûs Divini, quam homines pri-

vatis

vatis suis emolumentis adhibere solent, & non poterunt de sumptuum requisitorum penuriâ querulari.

CAPUT VI.

De Ecclesiarum, apparatuumq; nitore.

138. CUm quorundam Beneficiatorum Ecclesiæ vetustate, aut certè eorum incuriâ proximè collapsuræ, adeòq; ad peragenda in ijs Officia Divina minùs idoneæ censentur, ideò inhærentes textui expresso SS. Concilij Tridentini, omnibus earum curam habentibus, districtè, & sub fructuum sequestratione præcipimus, quatenùs intra triennium à publicatione præsentis decreti, Ecclesias squallidas, & ruinam minantes, ex proventibus ad eas, quomodocunq; pertinentibus, restaurare conentur; imploratâ etiam Parochianorum, & à potiori suorum Patronorum ope; Qui si valentes, pro dicta reparatione quidquam contribuere noluerint, sciant se jure Patronatûs termino elapso privandos.

139. In restauratis verò apparatuum nitor, corporalium, purificatoriorum, tobalearum, aliorumq; ex lino mundities, & omnium rerum cultui Divino servientium decor, & ordinatissima dispositio, omninò conservetur. Cuj cùm plurimum obsit congressus Nobilium pro comitiolis, aut alijs publicis consilijs, ideò præsente Synodo, omnibus curam Ecclesiarum habentibus, seriò interdicimus, nè deinceps ullos hujusmodi conventus in suis Ecclesijs fieri permittant, propter multas inconvenientias, & abusus.

CAPUT VII.

De notitia ſuarum Ovium à Paſtore, & ſtatu earum deſcribendo.

140. QUoniam præceptum DEI eſt, ut Paſtores agnoſcant Oves ſuas, neceſſaria omninò videtur ad eum finem, ordinatio catalogi Parochianorum, in libro ad id ſpecialiter, vigore Ritualis Romani, comparato, in quo ſcilicet deſcribantur loca, domus, & animæ, in ſua Parochia reperibiles, unà cum ſtatu earum. Quod facilè ſinguli animarum Rectores conſequi poterunt, ſi ſtrenæ tempore viſitantes ſuam Parochiam, ſingulorum nomina in prædicto libro connotaverint.

CAPUT VIII.

De limitibus Parochiarum.

141. CUm ex limitum inter Parochiales Eccleſias ignorantia, maximalis & diſcordia, non ſine boni regiminis jactura, & valoris Sacramentorum periculo quotannis oriatur, ideò huic malo ad mentem S. Concilij Trident: occurrere cupientes, quàm primùm in præſente Synodo, plenam à Præfectis ſcrutinij de ſtatu Eccleſiarum habuerimus informationem, mox Commiſſarios, pro circumſcriptione nondum dislimitatarum Parochiarum ex Cancellaria noſtra dabimus; ad quam proindè indigentes hujusmodi beneficio recurrent.

CAPUT IX.
De bonis Ecclesiarum.

142. INvaluit per calamitatem temporum, quædam audacia, arendandi, imò etiam in hypothecam concedendi bona immobilia, & oppignorandi mobilia Ecclesiarum: cùm scilicet quisq; laborem & difficultates adjunctas curis familiaribus horret, ac refugit, in alienosq; humeros ex suis detrudit; commoda verò, & proventus, vel ex alieno labore consectatur: contrarium certè passim evenit; ut & commodis illis, proventuq; frustretur, & bona ipsa devastet, litibusq; ac prætensionibus ineluctabilibus involvat, & penè alienet. Quapropter omnes contractus ejusmodi de bonis Ecclesiarum, absq; consensu nostro factos, irritos, & nullos declaramus, uti quidem sunt: & in virtute S. Obedientiæ præcipimus, ut bona Ecclesiarum in cujuscunq; possessionem, ad quodcunq; tempus illigata, quantocyus omni optimo modo, vindicentur, nec in posterum arendentur, aut oppignorentur sub amissione beneficiorum quæ possidant, & alijs pænis arbitrio nostro imponendis.

CAPUT X.
De Residentia Parochorum.

143. INolevit pluribus in locis Diœcesis nostræ pravus mos, Sacris Canonibus, & primævo instituto planè contrarius; quòd scilicet Parochi residentiam suam, non ad Ecclesiam; sed in prædijs Parochialibus, milliari integro, & ultra quandoq; distantibus, cum summo ad Ecclesiam Recurrentium incommodo, & periculo Infantium baptizandorum, ac Infirmorum continuent, ibiq; nimiùm sæpè in actus externos, gu-

ber-

burnationem Domûs & Familiæ, toti effunduntur, ac *DEO militantes*, contra doctrinam Apostoli *negotijs sæculi implicantur*. Quocirca huic inconvenientiæ obviàm euntes, districtè & sub pænis arbitrarijs præcipimus, quatenus omnes Beneficiati, non in prœdijs, sed ad Ecclesiam residentiam suam habeant, ut suâ ope indigentibus præstò esse possint ad eorum requisitionem.

144. Multò màgis sub interminatione Judicij Divini omnibus Personis Ecclesiasticis, quacunq; dignitate, & præeminentiâ fulgentibus, interdicimus, nè ministeria sæcularium suscipiant, aut in rebus eorum Procuratores existant, uti expressè prohibet Capitulum incipiens *Sacerdotibus*, nè Clerici vel Monachi *in Corpore juris contentum*, nèvè in sortem Domini vocati, sæcularibus negotijs sese immiscendo, cum status Clericalis dedecore, OEconomos, Agentes, domûs Magistros, & Administratores, vel alio quovis titulo famulatum iisdem præstare præsumant, innovando hac in parte pænas Constitutionibus Synodalibus sancitas.

CAPUT XI

De Beneficijs incompatibilibus non retinendis.

145. BEneficiorum incompatibilium retentio sacris Canonibus & Tridentino Concilio evidenter contraria, adeò in nostra invaluit Diœcesi, ut improbæ cupiditatis famâ, usq; ad Urbem percrebrescente Sanctissimus D. Noster Clemens XI. fœliciter modernus, non sine gravi animi dolore, speciale Rescriptum in calce libri apponendum, hac super re publicari mandaverit. Quod nos cum ea, qua par est,

veneratione ſuſcipientes; omnes, & ſingulos beneficia inter ſe incompatibilia, & Perſonalem reſidentiam requirentia inſimul retinentes, seriò præmonemus, ut in ſpatio ſex Menſium à Synodi præſentis Concluſione computandorum, dicta beneficia omninò dimittant, & ab hujusmodi exoſa, ac per Sacros Canones improbatâ retentione ſe expediant.

146. Niſi fortè alicui S. ſedis Apoſtolicæ ſuffragetur diſpenſatio, quam vigore Concilij Tridentini intra idem tempus, absq; alia intimatione Nobis præſentare tenebuntur: aliàs in caſu contraventionis huic Noſtro decreto, ſeu veriùs Apoſtolicæ diſpoſitioni, elapſo ſex menſium ſpatio, utpotè poſt tot præmiſſas admonitiones, pro vacantibus declarabimus, aptisq; mox conferemus Perſonis: Retentores verò ipſos, pœnas in eodem decreto appoſitas, incurriſſe declarabimus.

CAPUT XII.

De Proviſoribus Ordinandorum, & eorum Proviſis.

147. QUemadmòdum Proviſores ad ſuarum Eccleſiarum titulos, ſuſcipientes idoneas Perſonas, inſcriptam ijs, & deſervitam punctualiter exolvant, eſt neceſſe mercedem, quæ ducentis florenis annuatim cum victu tribuendis, minor eſſe non debet, ita Proviſi nullo modo Eccleſias titulares, ſeu Proviſionales deſerere poterunt, niſi biennio ſaltem, ſub maturiore Proviſorum diſciplina exercitati, ad aliorum regimen idonei comprobentur. Sed nec tunc ab hujusmodi Ecclesijs, ſine noſtra facultate, transmigratio conceditur; niſi ſibi de ſtabili vivendi modo, per collationem alicujus beneficij provideatur.

148. Porrò ſicut Parochi non omnia onera, in ſuorum Vi-

cariorum humeros deponere debent, ipſi ad exteriora toti effuſi, ſic nec eorum Proviſi, reddant ſe Eccleſijs inutiles, ſed præter conſveta obſequia, duas Miſſas ſingulis ſeptimanis, juxta fundationem Eccleſiarum, & Rectorum ordinationem, recitandi, obligationem ſibi Authoritate Synodi, impoſitam intelligant.

CAPUT XIII.
De Pactis Clericorum ſe invicem percutientium.

149. DEvenerunt ad Noſtram notitiam Quorundam non parvi auſus, quòd ſcilicet viri Sacri mutuis ſe, quandoq; ictibus contundunt, cùmq; tuberibus, ac vibicibus deformati, excommunicationis evidentia ſigna dederint, mutuâ conciliatione, cenſuras auferri putantes, in ijs Sacroſancta Miſſarũ ſacrificia abſolvunt, ac per id contractis irregularitatibus alligantur. Cui malo ſeduló occurrere cupientes, hujusmodi tranſactiones, uti de jure nullas, nec à cenſuris & irregularitatibus aliquomodo relevantes, reſcindimus; & pro nullis declaramus: non enim aufertur cenſura, niſi poteſtatis ſuperioris interveniente abſolutione. Quare ſicut omnes tales tranſactiones, quocunq; tempore factas, ad Nos Officiumq; Noſtrum revocamus; ita nè in futurum fiant, ſeriò interdicimus.

CAPUT XIV.
De Regularibus jus ſepulturæ

per Confraternias apud ſe tribuentibus.

150. CErtis relationibus cognovimus, quosdam Regulares, participationes meritorum ſuorum, ſivè Confraternias (ut vocant:) offerendo Perſonis ſæcularibus, unà ijsdem jus ſepulturæ, in Ecclesijs ſuis conferre, per quod uti manifeſtè eos inducunt ad ſepulturam, apud ſe eligendam, ita excommunicationem Papalem incurrunt. Proindè ſicut ipsos Regulares ab iſtis malis, quærendi eleemoſynas artibus dehortamur; ita Sacerdotibus ſæcularibus diſtrictè, injungimus, ut ſicubi ejusmodi Confraterniarum chartas deprehenderint, ad Nos deferant, ut contra earum diſtributores juxta SS. Canonum diſpoſitionem procedere poſſimus.

CAPUT XV.

De vita, & honeſtate Clericorum.

151. AD ſcopum & objectum attributionis, quod S. præſens Synodus ſpectabat, pervenimus: huc enim univerſæ conſtitutiones, ſancita, & quocunq; titulo nominatæ collimant leges, ut vita Cleri ad omnem honeſtatem, vocationi ſuæ correſpondentem, virtutumq; Sanctimoniam componatur: ſtimulum addente Divino eloquio: *Eritis mihi Sancti, quia Sanctus ſum ego Dominus, & ſeparavi vos à cæteris populis, ut eſſetis mei. Levit. 20.*

152. Porrò ſanctitas hæc non in externa ſolùm, Eccleſiaſtici hominis benè ad extra compoſiti ſpecie conſiſtit, ſed internam quoq; animæ cum DEO requirit conjunctionem. Quamobrem non modò ebrietatem, utpotè perennem vitiorum ſcaturiginem

nem, nimium cremati, & omnis compotationis usum, omnis avaritiæ speciem; cum fæminis, etiam quæsito consangvinitatis prætextu, ac titulo cohabitationem, aliaq; pleniùs in Epistola Pastorali descripta, Ecclesiasticum hominem infamantia vitia, summoperè aversentur;

153. Verùm etiam lectioni Sacræ, casuum resolutioni, conscientiæ discussioni quotidiè aliquid temporis tribuere assvescant. Quod ut efficaciùs consequi valeant, omnes, & singulos animarum Rectores, imò universum Clerum in Domino hortamur; & nihilominùs authoritate hujus Synodî statuimus, & mandamus;

154. Quatenus Personæ Ecclesiasticæ, si non singulis annis; saltem quolibet biennio, ad aliquod Religiosum domicilium sese conferentes, in eo exercitia Spiritualia, sub perito aliquo artis hujus ex fonte Magistro, absolvant. Non est certè felicior modus, ac medium efficacius, ad excutiendas profanas levitates, ad sæculares fumos, ac vanitates dissipandas, ad DEUM sibi sincerâ pietate, solidisq; virtutibus adstrigendum, ad totam deniq; vitæ & honestatis regularem, & ordinatissimam sui statûs dispositionem componendam; quàm hæc Sacra, & Divinissima solitudo, quæ si toto pectore, sinceroq; ad Divinos amplectendos instinctus, animo suscipiatur; impossibile videtur quempiam, sine divite Spiritûs Sancti fructu, morumq; suorum duraturâ emendatione, de hoc asceterio rediturum.

155. Posito hoc interni hominis cum DEO benè compositi fundamento; tum demùm exterioris formam, non modò in morum gravitate, conversatione exemplari, actione irreprehensibili; verùm etiam in cultu corporis à SS. Canonibus præscripto, nimirùm in tonsura decente, vestitu honesto, qui neq; sit vilis nimiùm & brevis, neq; deliciosus, sed mediocris, sublato excessu sæculari, & retentâ dignitate statûs Ecclesiastici, conservare studeant: ab armorum offensivorum gestatione, baculorum usu, maximè ferro fartorum, vulgò *Sztokady* dictorum omninò abstineant

156.

156. Usum quoq; annuli Clericis omnibus jam olim per *Concilium Leteranense 4tum Cap: 12. & Cap: Clerici Officia de vita & honestate Clericorum:* prohibitum, exceptis duntaxat ijs, quibus competit ex Officio dignitatis, Nos quoq; innovando decretum Synodi Kotowicianæ prohibemus, cum ea explicatione, quam Sacra Congregatio *Rotæ* 11. *Febr:* 1623 & 1628. 20. *9bris:* adhibuit, ut scilicet, intra Missarum solemnia solus Episcopus annulum retineat, aliæ omnes Dignitates, ut Doctores, Protonotarij participantes, imò Cathedrales Canonici, atq; Prælati deponere protunc annulum teneantur.

CAPUT XVI.

De Iejunijs.

157. Inter multos refrigescentis in DEUM Charitatis effectus, relaxationem iejuniorum meritò numeramus, quæ prætextu infirmitatis, ac debilitatis pleriq; excutiunt, qui tamen ad vitia satis virium dignoscuntur habere, meliores longè futuri, si debiliores essent. Conscientias igitur RR. DD. Parochorum, Confessariorumq; obligamus, nè facilè, nec sine gravi causa, partem illam disciplinæ Ecclesiasticæ relaxent, nec alimenta vitijs subministrent.

158. Dispensati verò ad esum certis diebus carnium, aut lacticiniorum; per quadragesimam ad scandalum aliorum imbecilliorum, in observandis legibus Ecclesiæ, indulgentiâ illâ non abutantur, oculisq; se hominum, cum illis cibis vetitis, comesturi subducant.

159. Alterum est in hoc puncto, cui omni conatu Pastores animarum obniti debent, nè privatâ devotione adinventa, & superstitionem quoq; aliquam redolentia jejunia, quisquam ita assumat; ut illa quidem mordicùs retineat; consveta verò, &

ab Ec-

ab Ecclesia imperata dispensationibus subreptitijs eludat. Deniq; vigilias Festorum B. V. Mariæ, jam olim Synodo Provinciali, & Diœcesanâ, sub bonæ memoriæ Decessore nostro Alexandro Sapieha, sancitas innovamus, & in usum ac obligationem mittimus.

CAPUT XVII.

De Librorum impressione, venditione, & eorum censura.

160. IN Bibliothecis hujus Urbis, nè libri Hæretici, scandalosi, suspectivè perniciem sanæ Doctrinæ, bonorumq; morum invehentes, occultari valeant, aut Typis edantur; pro eorum censura, recognitione, & revisione Perillustres, Reverendissimum, & Admodum Reverendos Dominos Georgium Ancuta I. U. Doctorem, Canonicum Vilnensem, Vicarium nostrum generalem, & Alexandrum Zebrowski S. Theol: & J. Utriusq; Doctorem, Archidiaconum Albæ Russiæ, Iacobum Cyboni præpositum Congregationis Misionis domûs Vilnensis: pro libris verò Germanicis Illustrem, Ad: RR. DD. Petrum Schenfelt Magistrum Cæremoniarum Cathedralis Ecclesiæ, Præpositum ad Ædes Sanctissimæ Trinitatis, Parochum Hoduciscensem, Andream Horn Vice-Decanum dictæ Cathedralis Ecclesiæ, designamus: qui ter, aut quater in annum, librarias Officinas revidebunt, libros prohibitos, aut approbationem non habentes tollent, & pœnarum Trident: extensionem, ac declarationem urgere facient.

CAPUT XVIII.

De Archivio Cleri.

161. CUm in Juribus, Privilegijs & munimentis Ecclesiarum, ac Parochiarum, totius Diœcesis consistat

moles, pro eorumq; custodia, pia Fundatorum solicitudo; perpetuum constituerit Cancellarium; ideò ut Archivi; tectum, clausura, rerumq; omnium in eo reperibilium ordinatissima dispositio, & nitida per literas Alphabeticas singularum in repertorio speciali descriptio, ac in unoquoq; loculo, uniuscujusq; Parochiæ & Decanatûs, scriptorum collocatio, quàm optimè conserventur, Perillustri Admodum Reverendo Domino Ioanni Bychowiec, Cancellario Diœcesis, & ejus successoribus sub Officij amissione, seriò authoritate Synodi injungimus. Et nihilominùs Commissarios ad præmissorum lustrationem Perillustres Reverendissimos & Admodum Reverendos DD. Martianum Szaniawski Scholasticum Prælatum, Christophorum Białłozor J. U. Doctorem, Georgium Casimirum Ancuta Officialem nostrum generalem, Canonicos Cathedrales Vilnenses, Alexandrum Zebrowski Archidiaconum Albæ Russiæ designamus.

CAPUT XIX

De Seminario Cleri.

162. SEminarij Diæcesani solicitudinem, recti regiminis methodum, proventuumvè rationem decretis S. Concilij Tridentini nobis tantoperè commendatas, nè in hoc calamitoso Patriæ statu videamur deposuisse; pro eorum lustratione Commissarios ex V. Capitulo Perillustres Reverendissimum, & Admodum Reverendum Dominos Bogusłaum Corvinum Gosiewski Decanum Prælatum, Adamum Kiełpiński Canonicum, Vilnenses Fratres Nostros, ex Clero Perillustres, Illustrem Admodum Reverendos Dominos Ioannem Bychowiec Cancellarium Diæcesanum, Alexandrum Zebrowski S. Theol: & J. U. Doctorem Archidiaconum Albæ Russiæ, Ioannem Tołscikiewicz Protonotarium Apostolicum, Canonicum Smolenscensem deputamus. Qui tempore sibi commodo, præviâ obdesti-

natione, ad seminarium descendentes perceptorum & expensorum rationem; boniq; regiminis Juventutis prædictæ, ad præscriptum ejusdem Concilij cognitionem, fideliter institutas & annotatas, in spatio trium Mensium, ab impressione præsentium; Nobis exhibere tenebuntur.

CAPUT XX.

De Officio B. Michàélis Giedroyc.

163. PORrectæ Nobis debitâ cum supplicatione VV. Canonicorum BB. MM. de pænit: preces, quibus ad obtinendum pro Diœcesi Officium, de B. Michàéle Giedroyc, ex eodem ordine, hujus M. D. Litt: Patrono, Synodi implorant opem; cùm ob decretum S. Rituum Congregationis sint extra sphæram jurisdictionis nostræ, ideò eo fine supplicandum esse, ad S. Sedem Apostolicam, precesq; Synodi in volumine legum inserendas appromittimus, & declaramus.

CAPUT XXI.

De Fanis Dissidentium, Infidelium Synagogis, eorumq; sepultura.

164. IN Christiano & Catholico Regno, eam sumunt tum Dissidentes, tum Infideles, audaciam, ut in nostra nominatim Diœcesi, non appellatâ Ecclesiasticâ superioritate, liberè sibi fana, Synagogas, & Moschæas erigant, collabentesq; restaurent, in despectum veluti Sanctæ Fidei, & contumaciæ suæ ostentationem: Declaramus proindè istiusmodi ædificiorum ere-

ctionem, restaurationem ad Nostram Pastoralem jurisdictionem pertinere, nec quopiam Officio, aut dignitate, Nobis inconsultis multò magis vetantibus, concedi posse, Illustres deindè Decanos & RR. DD. Parochos obligamus, ut nunquam talia ædificia erigi permittant; invocato etiam brachij sæcularis, (si fuerit opus:) auxilio; nobis Officioq; nostro quàm primùm significent; si quid uspiam hoc in genere fuerit attentatum. Quæ verô hactenùs absq; scitu & consensu Nostro, recenter sunt erecta, deferantur pariter ad nostram notitiam; ut congruis remedijs dignitati, juribusq; dominatricis fidei consulamus. Famulitia utriusq; sexûs apud Infideles, jure tam Canonico, quâm Civili Patriæ nostræ, Synodorumq; constitutionibus, atq; comitiorum multoties prohibita, quia nondum penitùs tolli potuerunt, authoritate etiam præsentis Synodi prohibentes, RR. DD Parochis districtè injungimus, ut nullo modo Christianos & Christianas specialiter nutrices, famulari apud eosdem permittant. Dediscunt enim ibi omnem Christianitatem, & in Atheos, imò bestias evadunt.

165. Quia verò perfidi Judæi, eam sumunt audaciam, ut suorum cadavera turmatim, cum ejulatibus ad sepulturam comitari, contra antiquam prohibitionem minimè vereantur, Lutherani quoq; & Calvinistæ tum Vilnæ, tum etiam in alijs degentes locis, penes Ecclesias catholicas per Urbem & oppida, cum facibus & cantu, hujusmodi suorum deductionem instituunt, cùm ijs solùm, extra portam Vilnensem id permissum sit, ideò, nè dictæ inconvenientiæ, publicæq; adinstar processionum deductiones fiant, omninò, & sub pænis gravissimis arbitrio nostro infligendis, authoritate præsentis Synodi interdicimus.

CAPUT XXII.
De Sagis & Maleficis.

166. QUantis erroribus & criminibus obnoxia sint judicia, quæ in sagas & maleficos formare solent Personæ sæculares, eæq; rudes *exempli causâ* Cætus Rusticorum, alijvè juris perjtiâ, & debitâ ad hoc notitiâ minimè commendati, etsi in Epistola Pastorali, sat abundè declaratum; nihilominùs hîc etiam Pastoribus animarum inculcamus; quatenùs & à pernicioso illo, cum Dæmone commertio, in concionibus & cathechismis dehortentur, ac deterreant, & cognitiones in sagas, utpotè ad nos Officiumq; nostrum pertinentes nullo modo à sæcularibus exerceri permittant.

CAPUT XXIII.

De Taxa Fori Judicialis.

167. CUm in Ecclesiastico Tribunali lex Domini immaculata convertens animas, reddendo unicuiq; quod suum est, suos quoq; Operarios deservitâ nolit fraudari mercede, & post longam causarum audientiam, jejunos dimittere, minimè sinat; ideò, nè & Partes nimijs graventur exactionibus, aut aliquando vexatoriè, se gravari querulentur, & Cancellariæ Alumni victum habeant, & quo vestiantur: ut ait Apostolus; spectatis utriusq; extremi circumstantijs, & maturâ deliberatione ponderatis, omnibus Processibus & Instrumentis expediendis in cancellaria sequentem in moneta currente præscripsimus Taxam.

Taxa Cancellariæ.

168. CItatio simplex in media filura *florenus unus, & medius.*

Monitorium simplex *florenus unus & medius.*

Monitorium viso robore *floreni duo.*

Monitorium cum duobus terminis per decretum rationabili ex causa, post primam Citationem concessum. *floreni tres.*

Citatio cum tribus terminis, quæ non debet dari ſine expreſſo mandato noſtro, aut Officij noſtri, *floreni tres*.

Proteſtatio ad Acta ingroſſata, & extradita cum ſigillo, *floreni duo*.

Mandatum Procuræ, *florenus unus & medius*.

Inſcriptio cauſæ ad regeſtrum unius, ſive plurium, dummodò ex una citatione vel rotulo, *florenus unus*.

Remiſſoriæ pro examine Teſtium ſine controverſiæ ingroſſatione, in una filura, *floreni ſex*.

Pro examine cujuslibet Teſtis ſuper ſimplici propoſitione examinati *floreni duo*.

Si verò ſuper articulis quantumvis magnis, *floreni ſex*.

Copiæ pro viginti quatuor rigis in media charta ex utraq; parte ſcriptâ, *florenus medius*.

Similiter ſolvatur, quidquid in acta inſinuatur, pro media charta.

A Notis judicialibus uniuscujusq́; inſtantiæ; terminatæ decreto interlocutorio in præliminaribus dilationibus, *florenus unus*.

Decretum Excommunicationis ſinè controverſia, in contumaciam latum, *floreni ſex*.

Literæ executoriales cum ſententia, poſt auditas ſerias partium controverſias latâ, *floreni octo*.

Declaratoriæ Excommunicationis cum inſertis tribus Canonicis monitionibus in notorijs, absq́; proceſſu judiciario, *floreni decem*.

Decretum ex audita utriusq́; Partis controverſiâ cum aliquot inſtantijs latum, extenſum in tribus & ultra quandoq́; filuris, *floreni viginti*.

Decretum amplius cum omnibus actibus, examinibus, Teſtium inductionibus, replicationibus, duplicationibus, triplicationibus, &c. in decem, viginti, aut triginta filuris, ad proportionem immediati Decreti, taxari debet.

Inſtrumentum Appellationis, *floreni ſex*.

Audi-

Audientia Juramenti in Cancellaria, ejusq; expleti testimonium, authenticum *floreni semiduo*:

Pro sublevatione ad tempus *floreni tres.*

Pro absolutione à censuris post præstitam de stando Juri submissionem, & Parti satisfactionem, *floreni quatuor.*

Interdictum in Ecclesias, & illius relaxatio, pro unoquoq; instrumento, *floreni tres.*

Suspensio ab Officio & beneficio, *floreni tres.*

Inhibitio cum expressione causæ, *floreni tres.*

Inhibitionis relaxatio, *floreni tres.*

Arestum & Aresti relaxatio pro unoquoq; *floreni tres.*

Inscriptio Provisionis cum ejus transumpto, *floreni tres.*

Pro Dimissorialibus sinè reditu *floreni octo.*

Pro Formatis, seu testimonialibus ordinum, *florenus unus & medius.*

Instrumentum approbationis pro excipiendis confessionibus *florenus unus.*

Commenda alicujus Ecclesiæ, *floreni sex.*

Literæ Cridæ, *floreni tres.*

Institutionis seu investituræ literæ, *Imperialis unus.*

Resignatio beneficij Actis ingrossata, & per extractum extradita cum juramento, *floreni quinque.*

Indultum celebrandi in Ecclesijs non consecratis, *florenus unus.*

Indultum celebrandi extra Ecclesias, *floreni semiduo.*

Indultum copulandi sinè bannis; *discretioni Recurrentis cõmittitur*

Indultum diebus vetitis vescendi carnibus, *floreni duo.*

Pro Confirmatione Testamentorum ad centum florenos, *floreni sex.* *

Reliqua Instrumenta ad proportionem præmissorum taxabuntur: emergentium verò hac super re perplexitatum declarationem Officio nostro plenariè committimus.

* Ultra centum quot quot sint, *floreni decem.*

CA-

CAPUT XXIV
De Casibus reservatis.

169. CAsus Papales ex praxi publicandi Bullam Cœnæ Domini inferiùs apponendâ, distinctè patebunt: casus verò Episcopales, in Diœcesi nostra jam olim reservati, ad Ordinem meliorem digesti, in sequente proponuntur Tabella.

Tabella Casuum Reservatorum.

1. CRimen Clericorum habentium beneficia curata, & ordinariè, non residentium personaliter, sine nostra facultate.
2. Crimen Clericorum non satisfacientium pijs legatis.
3. Crimen publicè in judicio pejerantium.
4. Crimen falsificantium sigilla, & manuum subscriptiones.
5. Crimen falsum testimonium in judicijs, dicentium, & extra Judicium in scripto dantium.
6. Crimen Sodomiticum, bestialitatis, incæstûs, cum Consanguineis, vel affinibus in primo gradu.
7. Crimen stupri violantium Virgines.
8. Crimen procurantium abortum.
9. Crimen raptûs Virginis, aut uxoris alienæ, sive cujuscunq; mulieris.
10. Crimen homicidij deliberati, voluntarij, & ad illud operam, vel consilium navantium.
11. Crimen Parentes percutientium.
12. Crimen Incendiariorum.
13. Crimen Magiæ, veneficiorum, incantationum.
14. Crimen divortia inter conjuges sive per veneficia, sive quibusvis malis artibus procurantium, ac foventium.

15. Cri-

15. Crimen Jura, Privilegia, & munimenta Ecclesiarum, nec non supellectilem post intestatos sacerdotes rapientium, vel viliora pro melioribus supponentium.

CAPUT XXV.

170. SEntentias à Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. prohibitas in praxi sæpiùs occurrentes, in compendium redactas complectens, juxta quas judicium in Sacramento pænitentiæ formare non licet.

Alexandri VII.

1. VIr equestris duellum potest acceptare, nè timuisse videatur.
2. Licet ab Hæresi alijsq; criminibus Bullæ cænæ absolvere; modò sint occulta.
3. Potest Sacerdos unâ missâ pro duplici stipendio satisfacere, nec est hoc contra justitiam & fidelitatem.
4. Potest sacerdos obligatus stipendio, per alium obligationi satisfacere, collatâ ei parte sui stipendij, aliâ sibi reservatâ.
5. Peccata in confessione oblita, vel ob instans, vg: periculum vitæ omissa, non tenemur in sequenti confessione exprimere.
6. Per confessionem voluntariè invalidam, & sacrilegam, impletur præceptum Ecclesiæ.
7. Potest quis propriâ authoritate substituere, qui pro se pænitentiam in confessione injunctam adimpleat.
8. Licet occidere falsum accusatorem, testem, judicem, si aliâ viâ Innocens calumniam, decretumvè iniqvum evadere nequeat.
9. Non peccat Maritus propriâ authoritate occidens conjugem in adulterio deprehensam.
10. Restitutio beneficiatos non recitantes Divinum Officium,

non obligat ante ſententiam Judicis.

11. Poteſt aliquis Beneficiatus, obligationi recitandi Officij per alium ſatisfacere.

12. Dare Collatori pro collato beneficio, non eſt ſimonia; ſi Collator non pro beneficij, ſed pro emolumentorum temporalium exigit collatione.

13. Jeiunia Eccleſiæ non obligant ſub mortali.

14. Mollis, ſodomita, beſtialis ſufficienter ſe accuſant in Confeſſione fatendo procurâſſe pollutionem, nec tenentur exprimere peccati ſpeciem.

15. Poteſt accipere Judex pro ferenda ſententia in favorem unius Partis, ſi utraq; Pars litigans, habet pro ſe opiniones æquè probabiles.

16. In die iejunij qui ſæpiùs modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comedat, non frangit legem iejunij.

17. Iter unius diei, etiam non neceſſarium excuſat à iejunio.

18. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppletur per eleemoſynas, aliquando olim factas.

19. Valet officium pro officio, etiam parvum pro majore.

20. Oſculum ob delectationem ſenſibilem ex eo ortam, ſi non ſit periculum ulterioris conſenſûs, maculæquè carnalis, eſt veniale.

21. Annuum legatum, pro anima relictum non durat pluſquam decem annos.

Innocentij XI.

1. COmedere & bibere ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, modò non obſit valetudini, non eſt peccatum.

2. Opus conjugij ob ſolam voluptatem, caret etiam veniali defectu.

3. Vocare DEUM in Teſtem mendacij levis, non eſt culpa gravis.

Jura-

4. Jurare, ſine animo jurandi, licet.
5. Licet viro honorato occidere invaſorem, calumniatorem, ſi aliter calumniam vitare nequeat, qui ſe alapâ, ſuſtevè percuſſerit.
6. Licet furem occidere, pro conſervatione unius aurei.
7. Licet procurare abortum, ante animationem fœtûs, nè puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.
8. Licet furari non tantùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate.
9. Famuli & famulæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario ſuo.
10. Non tenetur quis ſub mortali ad reſtituendum, quod ablatum eſt per parva furta iterata, licèt ad magnam ſummam pervenerit.
11. Qui alium inducit ac movet ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem damni illati.
12. Uſura non eſt ultra ſortem aliquid exigere, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, ſed ſolùm, ſi exigatur tanquàm ex juſtitia debitum.
13. Veniale eſt, detractoris authoritatem, falſo crimine illi viciſſim impoſito elidere, vel ut quis ſuam juſtitiam, & honorem defendat.
14. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, ſi temporale non detur tanquam pretium, ſed tanquam motivum obtinendi Spirituale.
15. Copula cum conjugata, conſentiente Marito, non eſt adulterium, ſufficitq́; confiteri ſe fornicatum eſſe.
16. Famulus cooperans hero ad grave peccatum, *v.g.* ſcalas tenens aſcenſuro, humeris ſuis levans, januam aperiens, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu ſui domini, nè malè tractetur, gratiâ excidat, aut domo expellatur.

17. Præceptum colendi festa non obligat sub mortali, secluso scandalo & contemptu.
18. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.
19. Qui non potest recitare matutinum & laudes, licèt reliquas horas possit, ad nihil tenetur.
20. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.
21. Non tenemur Confessario interroganti, fateri peccati consvetudinem.
22. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm Confessos, ratione magni concursûs pœnitentium *vg:* Die aliquo Festi, vel Indulgentiæ.
23. Consvetudinario non est neganda vel differenda absolutio, modò ore significet, se dolere, & proponere emendationem.
24. Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere.
25. Proxima peccandi occasio, vel non fugienda, vel etiam quærenda; quando honesta causa, utilitasvè temporalis, aut Spiritualis occurrit.
26. Absolutionis est capax, etiam ignorans culpabiliter mysteria primò Fidei ut SS. Trinitt: & Incarnat: D. N. IESU Christi.

Circa has sententias.

171. ADverte imò hâc Tabellâ, exhiberi illas duntaxat sententias, quæ mágis in praxi occurrunt: reliquas omitti, quæ ad speculationem mágis, & ad scholam pertinent: sicut & omnes prohibitas Alexandri VII; non, quòd eas, vel tutas putemus, vel censurâ eximamus, sed quòd, ad praxim & notitiam quorumvis Sacerdotum non ita necessarias fore judicamus. Qui tamen illas nôsse velit, inveniet ad finem *Medullæ*

The-

Theologiæ moralis, P. *Hermani Busenbaum* & alibi.

Adverte 2dò. Plerasq; relatarum sententiarum aut brevitatis gratiâ verbis superfluis imminutas, aut æquivalentibus ad planiorem intellgentiam explicatas, salvo per omnia earum sensu.

Adverte 3tiò. Finem hîc recensendi fuisse, nè deinceps ullus Confessarius per ignorantiam, gravia peccata pro levibus, mortalia pro venialibus judicet, seq; pariter ac pænitentes decipiat.

Adverte 4tò. Istas sententias ita prohibitas esse, ut nec publicè privatimq; sinè censura excommunicationis, ipsi Summo Pontifici reservatæ doceri, sustineri, ac defendi possint: nec sinè gravi Peccato mortali practicari in Sacramento pænitentiæ, imò nec ad regimen propriæ conscientiæ adhiberi. Proindè cùm dicitur *valet, veniale est, non est peccatum, non tenetur, licet, &c*: omnia in contrario sensu intelligenda sunt, aliàs qui in sensu relato eas secutus fuerit *vg:. Licet furari, licet furem occidere &c: &c.* Sciat etiam hanc consequentiam sibi imminere, licet perire, ac in æternum damnari.

CAPUT XXVI.

De impedimentis matrimonia dirimentibus, sive irritantibus, & nulla facientibus.

172. UT horum notitiam Curati animarum, omnesq; Confessarij ob casus sæpè contigentes, & sibi familiarem faciant, & suis subjectis benè inculcent; summam impedimentorum, cum brevi declaratione subijcimus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.

Ætas, affines, si clandestinus, & impos,
Raptavè sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant, connubia, facta retractant.

1. ERror circa personam, ut cùm pro Rachele obtruditur Lia, persona una pro alia, non autem circa qualitatem personæ, *vg:* si ignobilior pro nobiliori, pauper pro divite contingeret; esset tamen error dirimens, si absolutè nollet consentire in personam, nisi tali conditione affectam.

2. *Conditio* error circa conditionem personæ, ut, si liber contrahat cum servâ, vel libera cum servo propriè dicto, quo nomine venire non debent famuli, neq; coloni, originarij nec adscriptitij glebæ.

3. *Votum* solemne castitatis per susceptionem *vg:* Subdiaconatûs, vel per professionem solennem in religione approbata; sponte emissum. Nam votum coactè emissum non dirimit, nec simplex votum, nisi vota simplicia Soc: IESU.

4. *Cognatio* legalis sive adoptio in Filium, aut Filiam, alibi quidem tantùm dirimit ad gradum secundum inclusivè, at in regno nostro hoc impedimentum vim non habet. *Spiritualis* quæ contrahitur ratione Sacramenti baptismi aut Confirmationis, *vg:* inter baptizantem & baptizatum & ejus Parentes, item inter suscipientes seu Patrinos, & susceptam prolem prolisq; Parentes. Inter levantes verò virum & fæminam omninò nulla. Idem tene de Sacramento Confirmationis. *Carnalis denique cognatio:* ab eodem stipite proximè descendentium, dirimit usq; ad qvartum gradum lineæ transversæ inclusivè. In primo gradu lineæ transversæ, nemo potest dispensare, ob jus naturæ vetans, in reliquis ex justa causa, potest summus Pontifex; in linea verò recta omnes jure naturæ gradus sunt prohibiti, ac indispensabiles.

5. *Crimen* est triplex, 1*mò homicidium* alterius conjugis per alterum, armis, veneno, consilio vel imperio patratum, acce-

accedente cooperatione vel consensu personæ tertiæ: homicida talis impedimento dirimente cum illa tertia persona contrahere prohibetur. Excipe tamen, si cædes tentata sit, sed non perfecta, seu sinè intentione matrimonij, vel cum intentione, sed non significatâ exteriùs, vel non communi consilio, sed ab altero tantùm, non dirimit matrimonium; nisi etiam adulterium præcessit, tunc enim, etiamsi unus tantùm cædem perfecerit altero ignaro, dummodò fuerit intentione Matrimonij, verè dirimit. 2dò. *Adulterium* vivente unius conjuge, per alterum conjugum cum tertia persona commissum, cum mutuo consensu de præsenti, vel promissione de futuro matrimonio, post mortem conjugis; sed ad hoc impedimentum consciscendum requiritur, ut promissio sit acceptata, ut uterq; sciat alterum conjugatum esse: omnis ignorantia vera excusat ab hoc impedimento, dubitatio non excusat. 3tiò *Crimen est raptûs*, cùm Persona quævis violenter abducitur, aut libidinis aut matrimonij ineundi gratiâ; duratq; tamdiu impedimentum, quàmdiu rapta in potestate est Raptoris: si subindè etiam liberè consentiat; ex eò tamen pro justa uxore haberi non potest, nisi libertati priùs restituatur, & tum demùm benevolè consentiat, tunc valet Matrimonium.

6. *Disparitas cultûs*, hoc est religionis, dirimit matrimonium inter baptizatum, & non baptizatam, etiamsi cathechumenum & vicissim. Hæresis alterius conjugum, impedit quidem cohabitationem, si periculum sit perversionis, non tamen dirimit.

7. *Vis* sive gravis metus injustè incussus irritat Matrimonium in utroq; foro, sive ab alterutro contrahentium incutiatur, sive à tertio quopiam. Declarationes hujus impedimenti vide apud Theologos, nominatim *P. Busenbaum & P. Milunski*. *Ligamen*, quo quisquis ligatur conjugi adhuc viventi.

8. *Honestas*, sive justitia publicæ honestatis, ob quam nemo potest contrahere cum Consangvineis illius, cum qua contraxit sponsalia vel matrimonium tantùm ratum, sed non consummavit, scilicet ob mortem supervenientem, vel ob professionem religiosam

osam, vel aliam ob causam, vnde nemo potest ducere filiam ejus, cum cujus matre sponsalia contraxerat, vel matrimonium ratum habuerat, & vicissim: neq; sororem sponsæ: neq; fæmina nubere filio, cujus Patri spoponderat, ratovè tantùm matrimonio se junxerat, ejusdem fratri: si tamen vel sponsalia fuerunt irrita ob defectum consensûs, vel mutuo consensu dissoluta, hoc impedimentum vim non habet. Aliàs si ex sponsalibus tantùm, sed veris, ac legitimis oriatur; impedit tantùm in primo gradu: si ex matrimonio rato, usq; ad quartum; oritur deniq; etiam ex matrimonio clandestino.

9. *Ætas* cujus defectus in mare putatur ad annum 14. in fæmina ad 12. nisi malitia suppleat ætatem: hoc est, doli & Officij maritalis capacitas, juxta prudentûm arbitrium.

10. *Affines*, ob hoc impedimentum non potest ducere in uxorem ullam, ex consangvineis primæ uxoris suæ, usq; ad 4tum gradum superstes maritus: nec Relicta nubere ulli, ex Consangvineis prioris mariti, usq; ad quartum: si autem hæc affinitas contrahatur per copulam illicitam, non extenditur ulteriùs; quàm ad secundum gradum inclusivè *vg:* fornicatus cum matre, non potest ducere filiam, neq; nepotem, neq; sororem, neq; amitinam, consobrinam, multò màgis germànam; idem existima de fæmina, quòd non potest nubere fornicatoris fratribus, amitinis, sobrinis, germanis.

Maritus peccans cum sorore vxoris suæ, non tantùm germanâ, sed etiam amitinâ & sobrinâ, non potest ampliùs debitum à sua conjuge petere ante dispensationem, quàmvis possit, & teneatur reddere.

11. *Clandestinus* cùm deest assistentia proprij Parochi, alterutrius sponsorum, vel alterius Sacerdotis habentis potestatem à proprio Parocho, & duorum ad minimum Testium, quorum nomine recipi possunt fæminæ; atq; pueri modò rationis compotes. Vagabundi possunt contrahere coram quovis Parocho, vel si alteruter Sponsorum sit vagabundus; tenetur

tamen

tamen Parochus diligenter de eorum conditione inquirere, & petere licentiam ab Episcopo assistendi talibus matrimonijs, aliàs validum quidem erit matrimonium, sed Parochus graviter peccabit.

12. *Impos* Ob frigiditatem, vel naturæ aliud vitium, quæ si sint perpetua, perpetuum efficiunt impedimentum: *si temporanea vg.* ex morbo, aut diaboli malignitate, mediantibus veneficijs, ideóq; si antecedat matrimonium, tamdiu matrimonium contrahendum sub valore impedit, quamdiu durat. *Si superveniat* matrimonio rato; non dirimit. De rapta muliere dictum n. 5. verbo *Crimen.*

CAPUT XXVII.

Praxim publicandi Bullam Cænae Domini Feriâ 5tâ magnâ insinuans.

173. NAywyższy Pasterz Kośćiołá Bożego dnia dźisiey-szego zwykł wyklinać wszystkie Heretyki, y złych Katolikow, ktorą to klątwę nakazuie weszystkich kośćiołach rożnych czasow, osobliwie dźiś publikować, ato dla informacyi wiernych, żeby wiedźieli, iáko ostrożnie poczynáć sobie maią, ażeby w pomienione klątwy niewpadali.

1. Wykliná tych, ktorzy czytaią księgi Heretyckie, bez dozwolenia zwierzchnośći kośćielney wyraźnego, y tych ktorzy Heretykow bronią, y pomocy dodawaią, tákże Schyzmatykow, y tych ktorzy się wyłamuią z posłuszeńśtwa náywyższey Stolicy Rzymskiey Pasterza.

2. Wykliná y tych, ktorzy się powadze, y mocy náywyższe-

go Páſterza Kośćiołá Bożego ſprzećiwiaią, iákowi ſą ći, ktorzy od ſentencyey iego, ad Concilium appelluią, ktorzy Liſty od Stolice Apoſtolſkiey dane fałſzuią, ktorzy ludźie iakieykolwiek kondycyi y ſtanu do Rzymu idących ex voto, iáko to Pielgrzymow, ábo ztamtąd powracaiących biją, ranią, kaleczą, ábo inſzym ſposobem onym ſzkodzą ábo do tego pomoc, rádę, y fawor daią.

3. Wyklina y tych wſzytkich, ktorzy nowe cłá w źiemiách ſwych, niemaiąc ná to zupełney władzy, uſtawiaią, ábo onych aukcyą czynią.

4. Wykliná y tych, ktorzy dodaią zbroi, oręzá, kul, prochu, ołowiu, konopi, żełaza y wſzelakich woiennych rynſztunkow, y innych materyi do tego ſłużących Turkom, Tatarom, y innym nieprzyiaćiołom Kosćiołá Bożego; imienia Chrześćiańſkiego, oraz y tych, ktorzy ſekreta Rzeczypoſpolitych Chrześćiańſkich dlá informacyi nieprzyiaćiela wydaią, ná ſzkodę y zgubę Chrześćian.

5. Wykliná y tych, ktorzy kaleczą, ranią, zábiiaią, w więźieniu trzymaią, ábo *hoſtiliter* traktuią. Kardynáłow, Patryarchow, Arcybiſkupow, Biſkupow, Stolicy Apoſtolſkiey Legatow, álbo ich z ſwoich Pańſtw, Dyeceſyi, z ziemie, y mieyſc wyrzucaią, y tych, ktorzy do tego ſą pomocą, radą y faworem.

6. Wykliná y tych, ktorzy udaiących ſię w ſprawach ſwych do Stolicy Apoſtolſkiey ranią, znieważaią, kaleczą, zábijaią, ábo rozbijaią ná drogach, y tych, ktorzy do tego ſą pomocą, y do exekucyi liſtow Stolicy Apoſtolſkiey, ábo inſzych expedycyi ſą przeſzkodą.

7. Wykliná Sędźiow, ktorzy kośćielne y Duchowne oſoby krom dyſpozycyi prawa duchownego, do ſwego ſądu poćiągaią, ábo poćiągáć dopuſzczaią, ktorzy wolność kośćielną dopuſzczaią znośić, wyniſzczać, śćiſkać, z kąd Kośćioł Rzymſki, ábo ktorychkolwiek Kośćiołow prawa iáwnie, ábo potaiemnie ćierpią *præjudicium*.

Wykli-

Wykliná y tych, ktorzy dobra duchowne Stolicy Rzymſkiey Apoſtolſkiey, y ktorychkolwiek uzurpuią, iáko to dźieśięćiny, ábo powinnych penſyi nie płacą, fundacye, zapiſy, y wſzelkie prawa Kośćiołom, álbo ich oſobom ſłużące zátrzymuią, y onych wydáć niechcą.

Ná oſtatek wſzytkich Heretykow, Lutrow, Kalwinow, Nurkow, Aryanow, Schyſmatykow, y iákieykolwiek Sekty Herezyarchow wykliná, czartu w moc podaie.

CAPUT XXVIII.

Praxim expediendæ Inquiſitionis, & Teſtium examinis declarans.

174. CUm in jure magna ſit vis Teſtium, & per eos efficaciſſima, litesq; planè dirimens habeatur probatio, præſertim, ſi eorum examen legitimè reperiatur expeditum; ideò nè in hujusmodi Commiſsionibus, & nomen æſtimatiovè Commiſſariorum vapulet, & partes gravem, ob illorum imperitiam, ſumptuum patiantur jacturam; litesq; per conſequens, propter iteratas Inquiſitiones, immortales reddantur; omnibus & ſingnlis ad præmiſſum Officium deſignatis, ſequentes regulas proponendas decernimus, & eas manuteneri mandamus.

1. Exhibitum ſibi authenticum, legitimi ſuperioris inſtrumentum accipiens Commiſſarius, ſemel, & iterum illud relegere debet, ut probè intelligat, à quo? ad cujus inſtantiam? contra quem? in quâ causâ committitur negotium: debet enim ſervare expreſſam mandati formam, quia aliàs actus foret nul-

lus *C. cùm dilecta* 22. *de rescrip: Soesius in lib:* 1. *decretal: tit.* 29. *n.* 21.

2. Antequàm ad locum expediendæ inquisitionis sese contulerit, præmittet tempestivè literas innotescentiales; ad videndum & audiendum in tali loco & termino pro parte Actoris vel Rei Testes recipi & jurare, in hac forma.

Oznáymuiemy tym nászym obwiesczczeniem, komu by otym wiedźieć należało, á mianowićie NN. z iedney strony, y NN. z drugiey, iż co Vrząd Konsystorski (si per Decretum Officij nostri emanavit Commisśio) *vel Iaśnie Wielmożny Im. X. Biskup Wileński* (si directè à nobis) *w sprawie NN. o rzecz NN. z Aktoratu pomienionego NN. toczącey się,* & è contra (si est mutuus Actoratus) *roskazał nám odprawić Inquizycyą; tedy Ia* vel *My temu aktowi dźień N. Mieśiąca N. Roku teraznieyszego, ná godźinę N. zrana ná mieyscu N. náznáczamy, ná ktorym terminie, áby obie strony ták powodowa* cum suis articulis, *iako zápozwaná* cum Interrogatorijs, ad videndum & audiendum Testes recipi, & jurare: Testes *zaś* ad deponendum secundùm Articulos, & Interrogatoria, prævio juramento, personaliter, legitimè, & peremptoriè *stawáli, tym nászym listem zápozywamy.* Dan: &c.

3. Literas hujusmodi debet partibus insinuare & ad valvas Ecclesiæ unius vel plurium, prout res postulat affigere, Clericus aut aliquis minister Ecclesiæ, qui nomen, cognomen, Officium, & quòd literas hujusmodi legitimè sit exeqvutus, scribat in ijsdem innotescentialibus.

4. Advertat Commissarius, ad evitandos scrupulos, ut terminus pro juramentis Testium designetur die juridicâ, nimirùm feriâ secundâ, quartâ aut sextâ. *Ianidl: pag:* 116. Examina verò post præstita juramenta, semper continuari possunt etiam die feriatâ.

5. Vigore innotescentialium in loco & termino legitimè constitutus, si commodè fieri potest, missam de Spiritu S. celebret,

vel

vel audiat unà cum Partibus & Teſtibus, petendo Spiritum S. ut actui imminenti gratiâ ſuâ aſſiſtere dignetur: aliàs absq; miſſa. tempore tamen matutino (propter juramenta à iejunis præſtanda) in præſentia Partium, fundet Iurisdictionem; exhibitione & lectione inſtrumenti authentici, & in ejus fundamento, pro termino hodierno editarum, & legitimè executioni mandatarum literarum innotescentialium.

6. Fundatâ jurisdictione annotet Teſtes præſentes partis Actoreæ primò, tum Citatæ, ac Partium contra eos, & dicta eorum, proteſtationes & exceptiones in hac vel ſimili forma.

Coram Me vel Nobis Commiſſarijs vigore innotescentialium, legitimè executioni mandatarum, in loco & termino hodierno, congregatis poſt fundatam jurisdictionem, in fundamento Decreti vel mandati &c: &c: comparentes perſonaliter, vel per legitimum Mandatarium cum mandato Procuræ Partes produxerunt Teſtes. Actorea N. N. N. ad probandum, Citata N. N. N. ad evadendum ſibi objecta; quos ego vel Nos, ſalvis proteſtationibus & exceptionibus Partium contra eos, & dicta eorum, ad Iuramentum admiſimus in hac vg: forma.

Forma Juramenti.

IA NN. przyśięgam Panu Bogu Wſzechmogącemu w Troycy S. Iedynemu ná tym iż o co będę pytany ná tey Inquizycyi w ſprawie NN. Aktora NN. z Pozwanym NN. o rzecz NN. toczącey ſię, tedy mam prawdę powiadać nie mam prawdy w niwczym utaic, á to dla żadnych reſpektow, przyiaźni, nie zápatruiąc ſię ná żadne dary lub upominki, od ktoreykolwiek ſtrony, y ná tym, iáko nie ieſtem námowiony, nie proszony, informowany, zkorrumpowany, lecz co wiem, y iáko wiem w tey ſprawie, ták zeznám podług Bogá y S. ſprawiedliwośći, niwczym ſumnienia mego nie zawodząc, ná czym iáko ſprawiedliwie przyśięgam, ták mi Boże dopomoż.

7. Videat porro Commiſſarius, an utraq; Pars ſit præſens præſtationi Iuramenti: nam ſinè præſentia Partis, juramentum & actus totus nihil valet: teſtimonij enim eſſentia in juramento, præſente eo, contra quem teſtes inducuntur, præſtando conſiſtit. *L. juſiurandi C. de teſt.* niſi fortè altera pars legitimè citata, venire pro termino neglexerit, quo caſu eam pro contumace declarabit, ac in ejus contumaciam poterit audire juramenta teſtium. *Cap: 2. ubi Abb. tit. eod. Ianidl: pag: 115. n.* 12. Hoc tamen ſciendum, quòd ſi negotium, de quo ſit inquiſitio, favorem partium principaliter reſpiciat, tunc ijs conſentientibus juramentum remitti poteſt, & eo caſu teſtes ſinè juramento, ſub fide tamen, honore, & conſcientia deponere poſſunt, *per text. in c. tuis, quæſt.* 39. *& ibi Gl: in v. remittatur* ~~*de teſtibus*~~. *Lud: Engel: lib:* 1. *tit.* 20. *&* 21. *n.* 42. quod locum non habet in criminalibus, & ubi vertitur intereſſe Gloriæ DEI, boni Eccleſiarum, communitatis, *&c:* Item de valore matrimonij, ac ubi proceditur viâ inquiſitionis ad cognoſcenda delicta & ſimilibus, in quibus depoſitio teſtium absq; juramento nulla eſt.

8. Quodſi Pars comparens proteſtetur contra actum commiſsionis, contra teſtes & dicta eorum, nolitq; auſcultare juramenta teſtium: Commiſſarius deſcribet Ipſius proteſtationem in actis; ad examen nihilominùs procedet.

9. Quodſi infirmitatem, aut aliam legalitatem juſtam opponet, propter quam ad audienda juramenta teſtium non poterit adeſſe: detur terminus ad comparendum, vel ſaltem ad Procuratorem mittendum, cum mandato Procuræ: ſciat tamen Pars legalitatem interponens, eam ſuo tempore juramento coram Officio comprobari, aliàs ad damna alteri parti cauſata, reſtituenda teneri.

10. De numero Teſtium ſciat Commiſſarius, ſufficere eos in omni cauſa duos, aut tres, dummodò ſint omni exceptione

majo-

majores, ad plenam probationem; si tamen plures Partes vellent inducere, eos non repellat, nisi numerum quadragenarium excederent, effrenatam enim multitudinem Testium, jura refrenari cupiendo, non permittunt, hinc inde numerum quadragenarium excedere. *c. in omni c. licet de Test. & L. ubi numerus ff: eod. Ianidl. pag:* 123. hinc ad summum septem digniores, si una pars seligeret, altera totidem in contra, ulteriori verò testium productioni renuntiarent, optimum esset, nisi magnitudo causæ aliud svaserit.

11. Si tamen queruletur Pars, testes suos non venire, extradat contra eos citationes, imò monitiones, & annotet in actis diligentiam Partis in ijs producendis, dabitur enim ipsi campus postea, eosdem adcitandi & producendi coram Officio: aliàs si resignabit eorum productioni, ampliùs eorum productio non concedetur.

12. Juramenta hujusmodi præstantur in hac Provincia à Testibus Nobilibus stantibus, & manu dextrâ pectus tangentibus: ab hominibus verò Plebeiæ conditionis genuflexis coram imagine Crucifixi corporaliter.

13. Præstitis juramentis Pars, contra quam testes producuntur, debet dare interrogatoria Judici aut Commissario, non Parti: quæ tamen si petita dare recusaverit, Commissarius ipse debet ea formare, positis ob oculos articulis causæ ex libello, protestatione, alijsq; deductis in judicium. *Lud: Engel: ubi supra n:* 46. aliter enim confecta nihil valent. Interrogatoria hæc scribat de verbo ad verbum in actu Commissionis hoc modo: *Post Iuramenta produxit Actor Articulos, Citatus Interrogatoria in tenore sequenti:* & scribat hujusmodi Interrogatoria.

14. His habitis removeantur Partes & Arbitri, ac instituatur examen singulorum testium seorsivè, & primò examinabuntur testes ex parte Actorea, tum à parte Citata inducti.

15. Testi inducto proponat Examinator; quàm periculosum

sit

ſit dicere falſum teſtimonium: & quòd falſus teſtis tribus ſit obnoxius, *DEO*, Cujus contemnit præſentiam, *Iudici*, Quem fallit mentiendo, *Parti* quam teſtimonio falſo lædit, uti habetur *c.* 1. *de crimin. falſi* moneatq; ut ſaluti animæ ſuæ conſulat deponendo.

16. Teſtem ſimplicem doceat primò myſteria fidei, juramentiq; gravitatem, tum eum ad juramentum admittat.

17. Si duo ſint Commiſſarij, unus inquirat, alter notet reſponſiones teſtium. Et quidem primò ſingulorum ſcribat nomen, cognomen, Officium, ætatem, diſtantiam loci, frequentationem Sacramentorum, *vg*: quando confeſſus communicavit *&c*:

18. Magnum Iudici præſtaret favorem, ſi adhuc quæreret teſtem: *Ieśli ſię znośił z innemi świadkami? ábo ieśli go náuczáno? y kto go nauczał? iako má odpowiadać? ktorey ſtronie lepiey ſprzyiá? czy niechce świadczyć z nienáwiści ku oſobie? czy nie má ſwego intereſſu do tey ſprawy? kto go prośił? czy wźiął zá to iáki upominek &c: &c.*

19. His annotatis exponet teſti primum articulum interrogando: quid nam ſciat de eo? & unde hoc ſciat? an ex viſu? auditu? quisnam ipſi narravit? quo tempore? quo loco hoc vidit? vel audivit. Si ex auditu: quæratur, à quo audivit? gravisnè erat Perſona, an levis? & ita, unde ille novit? item an ſciat benè, an tantùm credit & arbitratur. Sic peracto ſingularum circumſtantiarum primi articuli examine, deſcribet totum ijs verbis, & idiomate, quibus, & quo reſpondit teſtis, unà cum rationibus & probationibus à teſte depoſitis, & præleget teſti deſcripta: num ita ſe res habeat? necnè? poteſt enim in continenti teſtis ſe corrigere, non autem ex intervallo, nimirum poſt dimiſsionem ex examine, niſi fortè dicat ſe errâſſe in prima depoſitione; tunc enim probato errore, poterit admitti, eritq; depoſitio illius ultima vera, prima falſa, uti habetur in *c.* 7. *de Teſt: cogendis Soeſius in lib*: 2. *tit.* 20. *n.* 41.

20. Examinato primo articulo, examinet ſecundum eodem modo, tum tertium & alios, usq; ad finem, annotando in terminis teſtium responſiones, non autem *affirmativè*, *negativè*; cùm hæc faciant difficultatem, maximè ſi articulus habeat aliquot puncta.

21. Examine completo, imponat teſti ſilentium, nè dicat de his, ſuper quibus erat examinatus: ut caveatur aliorum teſtium ſubornatio: & expediatur teſtis. Alius introductus examinetur eodem modo: & ſcribantur verba ipſius propria, quæ etſi eundem ſenſum habuerint cum primo teſte, non ſcribatur tamen taliter: *iſte teſtis reſpondit ad primum vel ſecundum, ſicut primus*, nam ex tali ſcriptura argueretur teſtis de condictamine, & ſic poſſet reprobari à Judice.

22. In actu Commiſſionis poſt interrogatoria deſcripta ſcribatur ſic: *ſecundùm hæc interrogatoria examinatus eſt primus teſtis G. D. NN. citatus, juratus, reducto ſibi in memoriam juramento de dicenda veritate, expoſitoq;, quòd falſus teſtis &c:* (uti n. 14. annotatum) *Confeſſus vg: pro Paſchate, nulli Parti conſangvineus, amicus utriusq;, non deponit cauſâ amicitiæ, favoris, odij, ſed purè propter DEUM, non eſt informatus, non condictavit cum conteſtibus, nihil accepit pro teſtimonio: recognovit & reſpondit ad primum:* hic ſcribet reſponſionem, tum ponetur ratio &c.

23. Teſtis (Idem dicendum de Commiſſario) non debet quidem accipere munera, ut ſe favorabilem uni exhibeat Parti præ alia: tenentur tamen Partes, tam teſtes de longinquo vocatos, quàm Commiſſarium proprijs ſuſtentare expenſis, & tam teſti, ſi uno alterovè die immoretur ob hanc cauſam, quàm Commiſſario pro rato temporis, & laboris, præter ſuſtentationem, juſtam providere mercedem: nec hoc dicitur teſtium aut Commiſſariorum corruptio, cùm ijs acceptis Comiſſarius quod æquum ſcribere, & teſtis deponere, etiam contra ſuum teneatur Proviſorem: nec pro eo indignationis remaneat locus.

24. Prædictis ita conscriptis, concludet Commissarius inquisitionem in hac vel simili forma: *Quæ omnia in occluso Rotulo Vilnam v.g: remittendo, ei aperiendo diem N. mensis N. Anni currentis coram NN. præfixi, in quo termino ut Pars utraq; ad videndum & audiendum Rotulum aperiri, testimonia publicari, in principali negotio definitivam ferri, personaliter, legitimè ac peremptoriè compareret, per seorsivas citationes, authoritate mihi hâc super re traditâ, injunxi.*

25. Subscribet se Commissarius, componet & obsignabit Rotulum, remittens illum per certum à Partibus conducendum Cursorem, cum obligatione, nè ulli tradat, aut communicet Rotulum, sed directè ad locum designatum referat; inscribendo exteriorem titulum in hac forma.

Rotulus inquisitionis in causa NN. ad instantiam NN. contra NN. & è contra, (si est mutuus Actoratus) *expeditæ, aperiendus die N. mensis N. Anni præsentis, si tunc &c: aliàs &c coram VV. Officio Consistorij Vilnensis remittitur v.g. Vilnam*

26. Poterit etiam iste Rotulus Parti expedienti inquisitionem, ut pro termino præfixo referatur ad locum debitum, reddi: quod in his Partibus habetur in usu. Citatio verò Partium ad aperiendum Rotulum concipitur hoc modo.

My niżey ná podpisie wyrażeni Kommissarze, oznaymuiemy tym nászym zapozwem, iż po odprawioney w sprawie NN. z iedney, á z drugiey strony NN. o rzecz w dekrecie (si Commissio peragitur ex Decreto) *vel w Instrumencie Iaśnie Wielmożnego Imći &c: wydanym wyrażoną, kommissyi, onę zapieczętowaną do urzędu* (vel aliàs &c:) *odsyłaiąc, termin otworzenia oney dźień N. Miesiąca N. Roku N. ná mieyscu N. náznaczyliśmy: ná ktorym terminie, áby obie strony, tak powodowa, iáko zápozwana ad videndum & audiendum aperiri Rotulum inquisitionis, ulteriorem in causa processum, audiendamq; in principali negotio sententiam definitivam Vilnæ coram Officio, vel aliàs &c: personaliter, legitimè, & peremptoriè: Stanowiły się, powagą*

Vrzę-

Vrzędu Iáśnie Wielmożnego w Bogu Náyprzewielebnieyszego Iegomości Xiędzá Biskupa Wileńskiego zápozywamy Dan: NN. Anno, Mense, die NN. N. &c:

Citationes hæ per executorem, uti innotescentiales supra n. 3 debent Partibus tradi, & unà cum instrumento Commissionis authentico, ac innotescentialibus Rotulo includi &c: &c:

CAPUT XXIX.
De observatione Constitutionum Synodalium.

175. HAbetis jam Fratres dilectissimi, probè exploratum, præsentis congressûs finem, in quo, & luctuosam pestiferâ extinctorum lue, Fratrum nostrorum deflevimus stragem, & pijs eorum Manibus, devotâ exolvimus suffragia, & hostili contaminata labe renovantes Sancta Sanctorum, novam Ecclesiasticæ Hierarchiæ læti spectavimus faciem: satagendo pro viribus Nostris, ut & quod perierat, sedulò requiri, & quod abjectum reduci, & quod contractum alligari, & quod infirmum consolidari queat, mediante hac sanctâ Synodo, & in ea, prævijs maturâ deliberatione ac consilio, emanatis; debitè &legitimè publicatis Constitutionibus, quid amplius Nobis faciendum restat, nisi ut earum commendemus, & inculcemus obsevantiam. Quocirca geminamus primò verba Doctoris gentium. *Ad Gal: 6, Quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel DEI* Tum demum authoritate Nostrâ Ordinariâ, & respectivè in casibus contingentibus Apostolicâ, ut ejusdem Sanctæ sedis Delegatus, universam Diæcesim Nostram in DEI nomine, tenore præsentis decreti strictè & in virtute S. obedientiæ obligamus, quatenus omnes

& ſinguli, ad quos pertinebit, prædictas Synodi hujus conſtitutiones, cum eo obſervent fervore; nè adjunctarum ijs pænarum habeatur locus: uno contextu requirentes, ut haſce earum pagellas, ſinguli procurent, illas & ipſi frequenter, præſertim in Decanalibus congregationibus relegant,& populum concernentes,publicè illi denunciare non omittant; quas ubi cum Synodo exoptato concludimus fine, eas Sanctiſſimo Domino Noſtro D. Clementi XI. Salvatoris IESU Chriſti in terris Vicario; ut Sanctæ Sedis authoritate immutentur, corigantur, emendentur, aut ſi ſuæ placuerit Sanctitati, approbentur, debitâ cum reverentia, & plenâ reſignatione ſubijcimus.

CONSTANTINUS
Epiſcopus mp.

SER-

SERMO PASTORALIS.

Illustrissimi Excellentissimi ac Reverendissimi Domini D. Loci ORDINARIJ Vilnensis &c: &c.

Post missam in Synodo solemniter celebratam ad initium primæ Sessionis Habitus.

Stetit IESUS in medio Discipulorum & dixit: Pax Vobis. *Ioan*: 20.

LUstra sex qui jam peregi, tempus implens indigni mei Præsulatûs, quem inter tot, & tantas iniquitates temporum, adversitates Fatorum, contradictiones hominum sustinendo, sicut me subinde tædebat vivere, ita oportuit non semel mori. Ecce miserante æternâ bonitate Divinâ, ex omnibus illis eluctatus, congregatis hodie in unùm ad præsentem Synodum, Venerabilibus Fratribus, & Filijs Charissimis sto adhuc in me-

medio Vestrûm, vivus, an redivivus, post iteratos meæ mortis rumores;& voce Pastoris Pastorum vos compello: *Pax Vobis.*

Hæc est illa pax, quam Dominus noster à morte redux ad vitam, ratificavit, & confirmavit, quam priùs morte suâ & sangvine subscripserat, atq; obsignaverat; imò quam vix primùm natus, mundo per Angelos pacis promulgaverat: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Meministis credo illius vocis harmonicæ, quæ non ita pridem serenabat æthera, mulcebat pectora, cælo terras miscebat, & permutabat. Hæc ipsa, aut saltem illius Echo, post elapsū mensem vestris hodie resonat in auribus, cùm Ego in hac ætate, parvulus adhuc meritis, infans etiamnum eloquio, unctus tamen & Christus Domini vocationis Officio, in medio Vestrum constiti; atq; ingemino: *Pax Vobis.* Excipit illicò lætissimis acclamationibus hoc jubilum S. Greg: Nazianz: *O chara pax! O dulcis & res & appellatio, quæ bonum es ab omnibus laudatum, sed quod pauci custodiunt!* Profectò bonum, quo vix ullum melius, imò bonorum optimum, etiam Ethnici vatis suffragio: *Pax optima rerum,* quas homini novisse datum est; & Magni Augustini oraculo: *nihil est aliud vita beata, quàm pax æterna;* æternitatem scilicet in mortali vita auspicatus est, qui pacem cum DEO colit, cum proximo curat, in se ipso, ac secum tuetur, & solicitè conservat. Quid enim optabiliùs, & beatiùs, quam DEUM habere benevolum, & faventem hominem nullum infensum, ac offensum, se ipsum sibi quietum, atq; tranquillum experiri, quod sat clarè S. Leo Papa explicat. *Tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judice, & animus DEO Præside gubernatur.* Quod si cupiditates rationi subijcere, affectus ad legem Domini componere non cogitamus, frustra jactamus verbis *Pax, Pax, & non est Pax;* quia ut ait Propheta: *non est pax impijs, dicit Dominus.* Vera ergo Pax, nonnisi sicut rosa de spinarum hostis erumpit, sicut favus Samsonis in dentato discerpti Leonis rictu, ab armatis aculeo apibus elaboratur, sic nemo, nisi bellator &

victor

victor, pacem veram obtinuit, Pax bello paratur. *Pax nimirum, quæ à DEO venit, non inermis est, sed bellicosa, debellans peccata*, ait S. Hieronymus, & doctus Sylveira, addit reflexè: *nisi gladius præcesserit qui desecet vitia, pax non sequitur.*

Ad Togatum quendam Conventum, ad Comitium pacificum vos convocatos esse putatis Fratres Charissimi? non fallimini; convocati enim estis Pastorali buccinâ ad prælium Domini Exercituum, omnis sacer populus sicut vir unus. Bellum vobis impero cùm pacem anuntio; oleam pacis ostendo, sed ad lauros Martis, & sudore multo, & Sangvine rigandas voco. Nec tamen, sive nomina confundo, seu res perturbo. Quis mitior Agno, qui coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum, cum duceretur ad victimam. Idem tamen, ut tolleret peccata mundi, ceu durus Præliator in terram irruit: ex ore suo non blanditias, & lenitatem; sed gladium ancipitem, & bis acutum evibravit. Ille, qui nominatus est, Princeps Pacis, & Pater futuri sæculi, ille qui ab Apostolo Pacis incarnatæ (ipse enim est pax nostra) titulo salutatus est, Ille inquam de se ait: *non veni pacem mittere sed gladium*; & quasi non satis esset ferrum in cædes, & internetionem stringere; flammis etiam non abstinuit, quin grassaretur: *ignem veni mittere in terras*! Cum Moyse proinde hominum omnium mitissimo, hodie concitor; ut vos excitem. *Qui Domini est, jungatur mihi*; quicunq; se in Clerum, sive sortem Domini vocatum agnoscit, qui zelum gloriæ ejus profitetur, qui Ovium ejus integritatem, atq; salutem, suo pectore, suâ annonâ, id est vitâ, debere se tueri intelligit, jungatur mihi, mecum societ curas, jungat sensus, conatus omnes, & promptam voluntatem intendat, & pertranseundo â porta, ad portam, ab ingressu præsentis Synodi, usq; ad exitum, gladium acutum in utramq; partem vibret, & stringat in corda inimicorum Regis, interficiat omnes peccatores terræ, id est peccata, quæ dominantur in plebe, abusus, qui irrepserunt in Ecclesia, consvetudines pravas, quæ vim legis sibi arrogant, & præ-

scri-

ſcribunt. En Fratres Chariſſimi hoſtes noſtri, quos præſenti prælio vincere, atq; profligare debemus. Hoſtes noſtri, ut præcavet S. Bonaventura ſunt triplices. Bellum quoq; nobis cum ijs pariter triplex, ſcilicet Domeſticum, Civile, & Campeſtre gerendum eſt. Primum cum Carne; civile cum tentatione mundi; campeſtre hoſtile cum Dæmonibus. Hoſtes noſtri ſunt, qui DEO, ac Domino noſtro hoſtilitatem jurârunt, in eamq; conjurârunt. Non putate à me indigitari tantùm Diſſidentes ab Eccleſia in articulis fidei, atq; ita, aut in SSS. Trinitatem blaſphemos cum Mahomete, aut Meſſiæ Chriſti Divinitati rebelles Iudæos, aut Divinitati VERBI infenſos cum Ario, vel Proceſſioni Spiritûs S. cum Photio, vel Sacramento Altaris cum Calvino, vel Sanctorum invocationi, meritorumq; juſtificationi cum Luthero, vel ſedi Apoſtolicæ, & Vicariæ DEI in terris poteſtati, perduelles omnes in unum. Bellandum quidem cum omnibus iſtis, gladio Verbi DEI, non quidem læviagto, & expolito ad ſplendorem per eloquentiam (quanquam nec hoc illaudabille eſt, ubi eſſe poteſt) nec artificioſè vibrato, ſed animoſè diſtricto; in Virtute Spiritûs, & boni exempli, atq; irreprehenſibilis converſationis, ut nullus adverſariorum poſſit quidquam mali dicere de nobis. Quod dignè fit, ſi opus facimus Evangeliſtæ, bene vivendo, bene docendo, moribus & verbis inſtruendo, ſicut ipſe Magiſter noſter (ut legitur in Actis Apoſtolorum) *qui priùs facere cæpit quàm docere.* Sunt porrò alij, ſunt magis noxij, ijq; longè frequentiores hoſtes, crimina ſcilicet Chriſtianorum, ut nulla immanior beſtia eſt, legis, ac profeſſionis ſuæ oblito Chriſtiano. Hæc dum longè lateq; porrecta intueor, infinitam multitudinem, ſicut Stellas cæli, quas numerare nemo poteſt, aut arenam in littore maris, videor mihi videre, & cum Prophæta exclamare Oſeæ 4: *non eſt miſericordia, nec ſcientia DEI in terra, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & Sangvis, Sangvinem tetigit.* Infernales iſtæ copiæ, in tantùm excreverunt, ut il-

ut illis, non pagi, non oppida, non urbes,non loca ulla sufficiant, omnis hominum ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis status suis sceleribus in Deum armatur, atq; insolescit. Incipiunt simul sapere, simulq; peccare pueri, pergunt adolescentes, non cessant juvenes & viri, senes pleriq; priùs vitam, quàm arma in Deum deponunt. Nec virorum tantùm istâ ferociâ plenus est mundus, penetrat etiam ad molliorem, & ad vitia procliviorem sexum. Quid dicam de alijs statibus, & conditionibus? Finem non habet potentiorum superbia, infirmorum livor ac malitia, inter pares odia, ac immortales exercentur inimicitiæ; cupiditas non expletur rapinis, ac usuris; ebrietas post tot fortunarum, virium, vitarumq; náufragia, non relinquitur; adulteria, incæstus, & ejusmodi fædissima commercia, pudorem ferè omnem, metumq; exuerunt, dilatarunt os suum in Cælum, posuerunt blasphemias, atq; perjuria. At castra Domini Exercituum, & Sacra militia Clericalis, proh dolor! hæreditatem, ac possionem Domini sui vastari, atq; pesundari, id est animas pretioso Sangvine Divino comparatas, scelerum atrocitate, æternùm patitur interire! Audite ergo tâles, ad quos spectare dignoscitur, gravissima maximi Pontificis Gregorij M: exprobratio: *Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe DEI rarus valde invenitur operarius, quia Officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus Officij non implemus; fructus quippe Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus ergo, cujus damnationis sit percipere mercedem laboris, pensemus cujusnam apud Deum sit criminis, peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere, pensemus qui unquam per lingvam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostrâ increpatione correpti, pænitentiam egerunt? Quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit?* Quasi diceret, ecce clericalis militia, ecce Castrorum acies ordinata, pro Ecclesia, & DEO excubat, seu

excubare se dicit, stipendia adnumerata singuli recipiunt, disciplinâ militari omnes imbuti sunt, & tamen arma rubigo consumpsit,aut longa desvetudo inutilia reddidit .Sunt arma,sunt viri, sunt Castra, sunt milites, Inimici nihilominus DEI vivunt. Vivunt, & confortati sunt, & multiplicati, cum grandi nostro opprobrio, & confusione.

Atq; utinam hostilitas in Deum armata, in populis tantùm sæculoq; subsisteret! utinam plebem tantùm profanam,in Sanctum Sanctorum Dominum incitaret, ac secum raperet! Illud atrociùs est, quod nec sinè uberrimis lacrymis, nec sinè bile, ac vehementi cordis stupore eloqui possum. Illi ipsi, qui à Domino in socios belli electi, corporis ejus stipatores, lateris custodes constituti, ejus cælesti annonâ enutriti.ejus stipendijs ditati, ejus armis instructi,sunt illi inquã,qui se Sacramento fidelitatis obstrinxerunt, *Filij Ephraim intendentes arcum,conversi sunt in die belli:* Et quod Moyses simili gemitu deplorat: *Incrassatus est dilectus meus, & recalcitravit;impingvatus, dilatatus, dereliquit Deũ Factorem suum,& recessit à DEO Salutari suo:* idest Sacerdos,qui sacer veluti Dux, populis, ad expugnanda vitiá esse debuerat & verbo, & operis exemplo, idem ad hostium castra.turpi defectione transfugit. *sicut populus,sic Sacerdos.* Ille otio,& ignaviâ dissolutus emarcuit, ut incurius exterioris honestatis, sic longè magis internæ pietatis, & virtutum culturæ; somno tantùm, & ventri, utinam non veneri! deditus; nesciunt forsan tales, quoniam *corpora* eorum (juxta Apostolum) *sunt membra Christi*, & S. Hieronymo attestante; de nullo peccato legitur dixisse Deus: *pænitet me fecisse hominem*, nisi de peccato carnis. pro quo totum mundum diluvio delevit. *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti* (ait Spiritus S.) *& ecce totum repleverunt urticæ, & operuerunt faciem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat:* istorum ignavorum veluti describens OEconomiam, quasi visitâsset semiruta, atq; inornata Templa, squallida in suo situ, dispersa sacraria, araneis, pulvere, centonibusq;

nibusq; obsita altaria, atq; in ruinam inclinata, undiq, stillantia ædificia, desertos agros, vacua promptuaria. Verbo, ubi nullus ordo, sed quasi sempiternus horror; neglecta Sacrorum locorum cura, nulla deniq; erga Sancta Sanctorum reverentia, adeò, ut forsan de nostris temporibus longè ante verè prædixerit D. Chrysost: *olim templi foribus inscriptum erat silentium, nunc autem à foro nihil differt Ecclesia*: Emere quid aut mercari lubet, magis idonea Ecclesia, quàm forum? sæpe enim de his rebus, quàm in ipsis Officinis loqvuntur. Nunc Ecclesia Domus, imò domo aliquâ profanâ magis; nam in Domo quidem Ordo servari solet, hîc verò magnus tumultus, nihilq; à caupona differt, Tanta turba, tantus risus, quantus in foro. Alius, ut otium fugeret, otio deterioribus occupationibus manus, animumq; applicuit; tenet poculum de mane, usq; in profundam noctem, & qui ad vineam Domini conductus est, in vinea Sodomorum, & in suburbijs Gomorrhæ fatigatur à vino, seu ab ignobiliori potu, non recepturus diurnum denarium, sed perditurus cum denario, & substantiam, & famam, & conscientiam. Nossent utinam isti D. Chrysologi sententiam, quâ vitium istud probrosissimum confixit: *Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium, quia alter animam suam necat vino, Sacerdos Spiritum Sanctitatis extingvit*. Hæc scilicet omnium fertile est seminarium, imò radix, quæ Sæpe: numero in Corpore subdito peccato, excitat quoq; infamem libidinem sicut Apostolus clarè demonstrat hanc esse legem peccati membris nostris insitam, hanc esse legi Divinæ, atq; rationi oppositam rebellionem.

Affinis luxuriæ luxus, à pace Christi quosdam divellit, & in Perduellium acie constituit: Cernitur enim (ait S. Bernardus) in nonnullis Sacerdotibus, vestium cultus plurimus, Virtutum aut exiguus, aut nullus. S. Aug: hoc quoq; olim jam inculcaverat. *Corporis luxus, id est hominis exterioris ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò magis sunt interioris hominis de-*

trimenta. Conſentit eidem S. Doctori, ex Grecis diſertiſſimus Iſidorus Peluſiota: *Paria, & gemina ſunt prorſus, inutili, inaniq; circa veſtes ambitione efferri, ventriq;, ac gulæ per voluptatem ancillari.*

Alius quidem, numerata jam dedecora evitando, omnem Solicitudinem, atq; applicationem, ad opes cumulandas transfudit. Subtrahit etiam decoræ honeſtati, ne dicam cultui Divino, & Decori Domus DEI, quod ſuæ ciſtæ, aut viſceribus terræ incrementis apponat; non modò Pauperes Domini, ſeu veriùs Dominum in ſuis Pauperibus fame conficit, ſed etiam ſe ipſum damnabili conficit jejunio, unde ſuam fortunam impingvet; Eccleſiæ, & ſuis ſubtrahit neceſſitatibus, unde vel ingratiſſimæ, ac diſſolutæ ex ſangvine poſteritatis luxum nutriat, vel primo occupantium, ac diripientium, ſine ullo metu Bullæ cænæ Domini illaqueat, & ſtrangulet conſcientias. Contra hos juſto invehitur Zelo Pius II, Pont: max: *Avari verè nulli, niſi poſt mortem proſunt.* Salubriùs foret ſequi doctrinam S. Aug: *Divitiæ ſi deſunt, non per opera mala quærantur; ſi autem adſtant, per bona opera ſerventur in Cælo,* ſicut & divini præcepti meminiſſe oportet: *Nolite theſaurizare Vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in Cælo, ubi neq; ærugo, neq; tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.*

Advertendum verò eſt diligenter, bellum inteſtinum ſicuti in Rebuspublicis miſerum eſſe ſolet, in quo tam ſit miſer qui vincitur, quàm qui vincit; ita in mundo minori, in unoquoq; noſtrûm, nihil tali inteſtino bello, & feliciùs & glorioſius eſſe poteſt, cum Spiritualis homo, carnalem ſubigit, internus homo exernum vincit, homò qui ſecundùm Deum creatus in virtute Sanctitatis, hominem qui corrumpitur in deſiderijs, & concupiſcentijs ſuis caſtigat, & in ſervitutem redigit, mortificat, atq; debellat.

Bellum inteſtinum anſa eſſe dicitur, quâ bellum externum

attrahi-

attrahitur, caput esse putatur, cui corpus bellorum externorum, facile subſtruitur. Ego verò, inteſtinum bellum in ſe, benè, fortiter, ſapienter, ac feliciter geſtum, caput esse cenſeo omnium externarum victoriarum. Sicut enim fruſtra gladium in extraneum hoſtem vibrat, qui intra ſe periculoſiorem hoſtem, ac proditorem habet, & turpe, eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum; ita poſtquam interiores in poteſtatem rediguntur, & omnes in ſuam militiam ordinati fuerint, in ſuam etiam potentiam, copiasq́; recenſiti, nullus Omnino externus ſit, licet potentiſſimus, validiſſimus, & ferociſſimus, non formidabitur. Hoc Propheta dicebat; *ſtemus ſimul, & quis eſt Adverſarius meus, qui noceat mihi.*

Sunt præterea nobis,& bella ſocialia, quæ pro ſocijs proximis ſecundùm Deum,pro ovibus inquam noſtris gerere debemus obſiſtendo calamitatib9 temporum,quæ eos premunt,obſiſtendo inquam opportuno, cum adeſt auxilio, conſilio, ſolatio, ſive vivant, ſive periclitentur, & ægrotent, ſive moriantur, noſtro ſubſidio non egere non poſſunt. Bellum nobis ſociale, pro miſeris, & pupillis, pro afflictis, & oppreſſis, contra potentes Exactores, Raptores; qui Sangvine, & lacrymis Pauperum veſcuntur, qui devorant plebem, ſicut eſcam panis. Bellum eſt contta eos, qui bona Matris, & ſponſæ noſtræ Eccleſiæ invadunt, rapiunt, diripiunt, uſurpant, & retinent. Bellum tamen illud, defenſivum eſſe debet, non offenſivum; Civile etiam, cum civilitate, ac manſvetudine Domini noſtri IESU Chriſti gerendum, qui in tali apud hortum Getſemanicum bello, alliſit quidem, & proſtravit ad terram, ſed non mactavit; aurem etiam quam Petrus acinace ſuo reſecavit, clementiſſimè reſtituit, maluitq́; ipſe occumbere, quàm noxam ullam ſuis Adverſarijs, in vita, ſanitate, & honore inferre.

Intellexiſtis ex hactenus dictis, Bellum noſtrum multiplex, & unum, quia perpetuum: *militia eſt enim vita hominis ſuper terram*, hominis maximè DEO dicati, ſeu Sacerdotis. Bel-

lum esse nostrum, contra potentissimos hostes, aut pauciores, aut debiliores, quia & Dæmones militare nomen sibi arripiunt, ut in Evangelio cum interrogaretur, *unus quod tibi nomen?* ille ait, *legio:* & peccata juxta Origenem, *vires hostibus præbent.*

E contra, adsunt Angeli Socij, adest Christus Dux, & hortator, unicum restat, ut ad hoc bellum armemini. Porrigit gladium contra æternum hostem, sive perfidias, sive hæreses, sive crimina sæculi, Propheta Domini Ieremias, unicujq; vestrùm, sicut olim Iudæ Machabæo Duci, & Sacerdoti in visu nocturno (nam somnia figurarum sub luce Evangelica evanuerunt) *Accipe* unusquisq; sacerdos, *gladium aureum, gladium Sanctum, in quo deijcies Adversarios populi mei Israel.* Porrigit gladium & hesternus Ensifer Hierosolimitanus, longævus Simeon, quem Sanctissimæ DEI Genitrici Virgini, ita porrexit, ut ejus, & animam stringeret: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hic est gladius, quem intestino bello adhibeatis in hostes internos, id est in vestras concupiscentias, in vestròs pravos impetus, corruptæq; naturæ passiones stringatis, donec ponatis inimicos Vestros scabellum pedum vestrorum. Porrigo deniq; & Ego, indignus licèt, Propheta Domini, ut Ieremias, & Simeonis inclinatam Senectutem, licèt non passibus æquis insequens, gladium illum, quem non quidem in re, sed in verbo Machabæus senior filijs suis testamento legabat: *Vos ergo Filij confortamini, & viriliter agite in lege; quia in ipsa gloriosi eritis. Retribuite retributionem Gentibus* (scilicet qui gentiliter in Patrimonium Christi manum extendunt) *& intendite in præceptum legis.*

Hoc eodem stylo obsecro vos, & hortor per viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus nos visitavit, & fecit redemptionem; ac spondeo, talibus bellis, non victoriam, non amplissima de Cælo victoriæ præmia, non triumphos, in superno illo triumpho, defuturos. Deniq; totum sacrum cætum Synodalem Doctoris Gentium accommodata Valedictione ultimis alloquor Verbis.

Vos

Vos Scitis, à primâ die qua ingressus sum ad hanc Cathedram, *qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens DEO,* & meæ dilectissimæ Diœcesi in continua Solicitudine, in laboribus plurimis, in tribulationibus, & angustijs, in persecutionibus, & tentationibus, in exilijs in itineribus sæpè periculis ex genere, periculis intra; & extra Patriam, periculis à falsis Fratribus. Vestris in oculis, & coram DEO meo, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem Servavi, in reliquo spero reponendam mihi coronam justitiæ.

Ego scio propter jam inclinatam ætatem meam, Deus autem melius scit, quia ampliùs non videbitis faciem meam, vos omnes, quos ad præsentem S. Synodum frequentes cerno congregatos. Attendite ergo Vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Præpositos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sangvine suo. Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs; avaritia, verò quod est idolorum servitus, nec nominetur in vobis, sed induimini Dominum nostrum IESUM Christum.

Et nunc commendo vos DEO, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in Sanctificatis, ut sitis perfecti in ætatem plenitudinis Christi, non quibus adhuc ut ait Doctor gentium lacte opus sit.

Qua propter Charissimi, mente integrâ, fide firmâ, virtute robustâ, parati ad omnem DEI voluntatem simus, conservantes fortiter Dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis Pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in severitate disciplinæ censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum desit in vobis.

Et pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo IESU, cui sit honor, & laus, & gloria in Sæculorum sæcula,

SER-

SERMO

habitus in Synodo Diœceſana

à Perilluſtri, ac Reverendiſſimo Domino

GEORGIO CASIMIRO ANCUTA

Juris Utriusque Doctore, Canonico & Officiali Generali Vilnenſi, Præpoſito Regiæ Capellæ Sancti Caſimiri.

Dedit Talenta unicujq; ſecundùm propriam virtutem *Mat: Cap:* 25. *V.* 15.

Vocationem Eccleſiaſticam, grande Talentum eſſe, ille forſitan ignorat, qui quantùm in ea, à Cæleſti Rege acceperit? quantumquè ex accepto debeat? non perpendit. Quoscunquè Dominus ad hanc vitæ conditionem, ſtatumquè vocavit, dedit ejs talentum honoris, in plebe ſua collocando cum Principibus populi ſui, ad animarum regimen, & judicium, vocando ſimul Aaron, ad Offe-

Offerendas hoſtias placationis, ad immolandum ſacrificium benè placens, atq; perfectum, quod nec Angeli præſumunt, multò minùs Reges, aut Principes Terræ, edocti Saulis, & Ezechiæ Regum ſupplicio. Dedit ejs talentum ſufficientiæ temporalis, quin imò, quot eis dedit talenta, ſive corporis, ſive animi, ſive naturæ, ſive gratiæ, ſive fortunæ, in illius vocationis dotem, tot dotes aſſignavit. Quis non videt, hoc Talentum unum, æquivalere talentis quinque, duo exſuperare, collectam omnium ſummam adæquare, ſiquidem tantis alijs circum vallatur: Dedit unicuique talenta. Sanctus Apoſtolus 1mâ Corynth: 12mò, Diviſionem gratiarum, miniſtrationum, operationum, iſtam talentorum diſtributionem vocat: *Alij quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera lingvarum, alij interpretatio ſermonum.* Longum eſſet explicare ſingula ad captum, ſummatim attingo aliqua. Ille pollet talento exemplaris modeſtiæ, atquè Sanctimoniæ, alter morum ſvavitate, atquè comitate animos hominum ſibi conciliat; alius de corporibus hominum genios malos fugat, alius naturali prudentiâ œconomicâ adminiſtrat, alius animos hominum dexterrimè tractat, litigia componit, abolet diſſidia, pacem reſtituit; alius ſapientiam datam ſibi, in ſacra Cathedra pro concione, alius pro tribunali pænitentiæ, in excipiendis Fidelium Chriſti confeſſionibus demonſtrat, alius conſilio potentior, alius hortamento; quid hæc omnia? niſi Talenta? quorſum verò omnia, niſi ad vocationem Eccleſiaſticam, ritè atquè perfectè obeundam. O quanta talenta accepimus? ſed & O quantum? ex hoc talentorum talento debemus? à nemine ſolum capitale expectatur, duplum ad minimum, à quovis exigitur, qui accepit quinque talenta, totidem alia repræſentare tenetur, cui duo credita, alia duo in lucro adferre, cui unum duntaxat datum eſt, væ ſi ex uno, alterum non lucrifecerit! ſed

de hoc circa finem. Nunc o Fratres in Christo Venerabiles, illud expendamus, quid eſt: *Vnicuique ſecundùm propriam Virtutem?* Non dat Dominus talenta, niſi ſecundùm Virtutem, & quidem propriam Virtutem, virtus ergo, & virtus propria vera, atque legitima eſt talenti menſura, tantûmquè quisquè habet talenti, quantùm virtutis. Sicut priùs dantur dentes, quàm panis, digitus quàm annulus, Corpus quàm veſtis, manus, & ſinus, quàm dona, ſic & priùs intenditur virtus, quàm talentum etiam Eccleſiaſticæ vocationis. Non dubito unum quemquè veſtrûm, virtutem priùs optâſſe, quàm Prælaturam, priùs vitæ Sanctimoniam, quàm ejus dignitatem, ac ſplendorem, priùs gratiam ſuæ vocationis, quàm fructus beneficiorum; nec in ullum, præpoſteram illam, quæſtûs rationem cadere potuiſſe, *quærenda pecunia primûm eſt, Virtus poſt nummos.* Vobis O Sanctioris Romæ Filij convenit, quod de ſuis majoribus Romanus ſcriptor Aurelius maximus, chartis conſignavit: *Majores noſtri omnia poſt religionem habuerunt,* Hæret vobis alto in pectore, tenaciquè memoria, oraculum Domini omninò imperioſum: *quærite imprimis Regnum DEI,* de quo alibi, *regnum DEI intra vos eſt,* Regnum inquam per quod regnat Deus, in animabus veſtris, omnes ſenſus, & membra corporis, omnes potentias animæ, omnes intellectûs operationes, omnes oculorum ictus, omnesquè aliorum ſenſuum actus, veluti numeroſiſſimum populum, in obſequio continet, & ſceptro nutûs ſui gubernat, atquè moderatur. Virtus eſt regnum DEI, quam ille inter ſuos titulos recenſet, *Dominus virtutum, Rex virtutum,* quo titulo magis, quàm regnis omnibus terrarum, ipſoquè regno Cælorum gloriatur, nec enim omnia regna terræ, ſine virtute quidpiam ſunt aliud, quàm chaos vitiorum, nec ipſum cælum, regnum eſſet, ac regia DEI, niſi virtutum eſſet profeſſio, & patria. Quid adhuc uirtus eſt? eſt illa lex æterna, quâ ſub lege vivitur, eſt mos gentis Divinæ, eſt tota ratio & forma in DEO, & ſecundùm Deum agendi, atq; vivendi. Quid virtus? eſt diſpoſitio boni

ad Op-

ad optimum, juxta illam legem vivam, quæ eſt ipſe Chriſtus, in moribus ſuis,& actibus; eſt procedere è virtute in virtutẽ, ex merito in meritum, è bono in melius, virtus diſpoſitio boni ad optimum. Quid deniquè virtus ? eſt conſtans atquè perpetua voluntas, juxta legem, rationesquè æternas, & juxta exemplar DEI Incarnati vivendi. Si virtus eſt voluntas; non igitur erit virtus, illud virtutis naturale ſimulacrum (quo ſæpe ita fallimur) ut ignavos atq; phlegmaticos, mites atquè humiles, prædicemus, arrogantibus adſcribamus magnanimitatem, iracundis & impatientibus zelum, diſſolutis, modeſtiæ limites egreſſis, ſvavitatem morum, atque illam lætitiam, quæ ſolius bonæ conſcientiæ, comes incedit individua; non negaverim equidem virtutum ſemina, in natura inſita eſſe, eaquè exteriores in actiones erumpere, verùm tamen nec ſemen, aut germen è terra pullulans, jam culmum eſſe, aut frugem plenam, ſcintillam jam flammam, aut ignem, nec aliquam inclinationem naturæ, jam virtutem eſſe, ideſt voluntatem agendi, juxta legem, æternasquè rationes,& juxta exemplar DEI Incarnati, illud nobis cælitus à Patre datum, eamquè voluntatem conſtantem, atquè perpetuam. Rurſus ſi virtus conſtans eſt voluntas ? excludatur meritò à Virtutis Nomine, illa temporanea bonitas, quam, quis vel inter prima ſtatûs Clericalis aſſumpti exordia, aut certè aliquando, tactus & compunctus, interiùs, Divino admonitu profiteretur, nec tantùm ſimulat, verùm etiam ex animo exercet. Non eſt virtus, brevis quidam impetus bonæ mentis, non vapor ad modicum parens, non fulgur momentaneum, & in ictu oculi evaneſcens fulgetrum. Virtus boni operis eſt perſeverantia, undè parùm refert virtutis, ſi manè tantùm ores, & pſallas, at in decurſu diei nomen Domini, malis moribus blaſphemes, ſub veſperum verò adſaltes vanitati, & voluptati, in earumque gratiam laſcivias. Non incæpta duntaxat, nec interpolata boni voluntas, eſt virtus, ſed conſtans atquè perpetua, non artificio quodam efficta, ac ſimulata, propter oculum Vigilantiſſimi Paſtoris, propter virgam

attendentis Prælati, propter vanam gloriam obſervantis proximi, propter temporale emolumentum (quod illo artificio venatur) ipſius ſimulatoris. Non dantur talenta niſi juxta virtutem, quaſi diceretur, tantùm datur talenti, quantùm eſt virtutis, quidquid enim recipitur per modum recipientis recipitur; quanta virtutis capacitas, tanta & abundantia talenti. Nunquid non acceperat, & Abſolon formam, & Goliath pro ſtatura vires corporis, & Balaam prophetiam, & Achitopel conſilij præſentiam, & Iudas acquirendi induſtriam, & Nabal opes, ſed quia virtus, quæ tanta dona ſuſciperet, & firmo veluti margine contineret, non adfuit omnibus iſtis, meliùs erat talenta enumerata non habuiſſe: ſingulis illorum talenta ſua, versa ſunt in talentum plumbi, aut molam aſinariam, ad collum, quod eos profundiùs mergeret in ſtagnum ſulphuris, & in lacum ignis, omni calamitate redundantem. Veſtram appello experientiam, nunquid non quotidie cernitis, in unoquoquè ſuum talentum, eò ſplendidiùs eminere, quò veriore & majore virtute ſit præditus Talenta in manu virtutis, idem faciunt, quod inſtrumenta; ſed ſi imperitâ, atque ignavâ manu tractentur, quid efficient? omninò nihil: ſumat verò Apelles penicillum, Bezeleel cælum & malleum, Apollo citharam, aut eo verior, & dignior David; ô Deus! ô quanta, hinc imaginum venuſtas, ac vivacitas, illinc ex auro & alijs metallis vaſorum ſoliditas, atque pulchritudo, qualis erat arca fæderis, aut admirabilia illa vaſa templi Salomonici, illinc quantum reddit Cithara melos, qualem harmoniam, quantâ aures, animosque mulcet ſvavitate? atqui eadem Cithara, in manibus indocti ſtreperet, idem cælum, atquè malleus otiaretur, idem penicillus monſtra pingeret, & oculorum abominationes. Talentum in virtute, Civitas in monte, lucerna ſuper candelabrum; talentum extra virtutem, civitas in vallem præcipitata, lucerna modio oppreſſa. Quis enim ſine virtute talentum, aut ritè ſuſcepit, aut exercuit graviter, aut fideliter Domino ſuo conſervavit? Numquid non longè ſæpiùs, ille terrâ,

râ, terrenisquè curis obruit? ille otio, ac ignaviâ ſepelivit, ille prodigalitate, ac erubeſcendis ſumptibus decoxit, ille immoderatis liquoribus, ceu mari fundum non habente demerſit. O imprudentiam! ô indignitatem! ô infidelitatem, atque perfidiam! hoc fuit talenta non accepiſſe ſecundùm virtutem. Reſtat deniquè ut jam explicem, quid ſit virtus propria? nam non qualemcunquè vi talentorum diſtributorum Domini requirit virtutem, ſèd ab unoquoquè propriam: qui vis ſtatus, quævis poſſeſſio, quævis conditio, peculiarem ſibi habet virtutem, quâ non ſecus, ac quodvis corpus propriâ animâ movetur, ac vivit; non ſecùs, quàm quivis homo, proprio Angelo tutelari ſtipatur, non ſecùs ac juxta Aſtronomorum ſenſum, quodvis ſublunare ens, proprij ſideris influxu vegetatur, atquè diſponitur. Sic Principium eſt clementia, atquè juſtitia, invicem temperatæ, ſive in unum conflatæ; Religioſis ſive Regularibus, ut ſe ad regulam ſuam adigant, atquè conforment, perpetuâ ſui victoriâ, & erga Prælatos competit obedientia: Milites pro omnibus armis, certiùs armat bona conſcientia, ad obviandum periculis pro Eccleſia, & Patria: Mercatores ditat ſua induſtria, timore DEI ſubacta: artificem commendat ſedulitas, juſtitiæ commenſurata, patresfamilias inſtituit cura domûs, ſecundùm Deum; agricolas patientia laboris, & cæli, magis quàm cæleſtium aſpectuum obſervantia nobilitat. An ſoli qui in ſortem Domini, qui in Eccleſiarum regimen vocati ſunt, propriæ atquè peculiaris virtutis charactere, animâ, genio, ſidere, deſtituentur? nequaquam, imò iſta eſt profeſſio, quæ ſicut omnes ſtatus curat, ac gerit in rebus animæ, ſalutisquè negotio, omnis conditionis participat onera, omnis profeſſionis complectitur decora, ita omnibus pariter indiget virtutibus, & quæ diviſa beatos efficiunt, collecta tenet. Quod adoramus in Principibus, veneramur in Religioſis, miramur in militibus, laudamus in mercatoribus, opificibus, & agricolis, in uno ſacerdote, ſuo modo, & ratione debet inveniri; ille enim in ſua Eccleſia Princeps, quô ad vitæ Sanctimoniam,

& ejus professionem, religioso nihilo inferior, non regulâ cujuspiam Sancti Patris, sed Sanctorum Patrum Canonibus adstrictus: ille & militiæ clericali deditus, & pro castris Domini exercituum, contra hostes invisibiles excubat in acie, & talenta ad negotiationem accepit, & artificium illud nobilissimum professus est, de quo Sanctus Hidelbertus: *ars artium est regere hominem, animal semper varium ac mutabile.* Regere autem in conscientia, & in officio Christiano continere, & cum omnium attingat munia, omnium requirit virtutes, sive singulorum, sive universorum, virtus propria non commodatur ab aliquo, ad obtentum, non imputatur per humanum favorem, sed proprio marte, proprijs meritis, propriorum talentorum exercitio, ad gradus, & subsellia Ecclesiæ eluctandum: *virtuti* (ajebat Comicus) *decet niti non fautoribus*; propriam deniquè virtutem uniuscujusquè censeo, quæ tam suo statui & professioni congruit, quàm personæ; & sua quemquè vestis, statum à statu, ut nomen & vultus, hominem ab homine, sic propria virtus professionem à professione distingvit, ac discernit. Nemo sanus delphinas sylvis appingit, fluctibus apros, nemo cervos in äëre venatur, & è metallorum fodinis volucres laborat effodere, in proprio elemento cujusque rei facienda conquisitio, & in propria virtute, sui statûs talentum exercendum. Nemo retibus arat, aut aratro piscatur, proportionata ad quodvis opus adhibeantur media, proportionatæ ad talentum statûs sacerdotalis, ejusquè Pastorale Officium adhibeantur virtutes. Regere hominem animal semper varium, ac mutabile, in conscientia, & in Officio Christiano continere, est cultûs Divini studium insatiabile, ut colatur, & à nobis & ab ijs, qui nostræ curæ crediti sunt, colatur inquàm ritè, decenter, perpetuò, in Spiritu, & veritate, non verbo tantùm & affectu, sed opere & effectu. Virtus propria est charitas, erga proximum infatigabilis, omnium salutem quærendo, omnium animabus consulendo, nec temporalia, ubi fas est denegando, omnia se omnibus exhibendo. Virtus propria est circa se

ca se ipsos cautela, & securitas, nihil indulgendo passionibus à-nimi, nihil voluptatibus corporis, nihil vanitatibus mundi, nihil illecebris diaboli, nihil carni, & sangvini, conscientiæ puritatem, propter se, ac Deum, morum, & actionum honestatem, etiam propter proximum conservando, providentes bona, non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus. Virtus propria viri Ecclesiastici, est æquanimitas ? in prosperis, cum hominum favor, temporum felicitas, abundantia rerum, ac DEI adspirat benedictio, nihil per insolentiam, animique resolutionem designando. Virtus demum sacerdotis est, magnanimitas in adversis pro DEO, & Ecclesia, rerum penuriam, temporum calamitatem, hominum odia potentum, ipsius inferni furias, ac insultus, obfirmato pectore perferre. Ea virtus Ecclesiastici viri quintuplex, quæ talentorum quinquè numero correspondet. En vocatio Ecclesiastica, unum talentum, & multiplex, unum ex multis acervatum & in unum conflatum. O grande talentum! quod tantis dignè æstimatur Virtutibus, imò talibus virtutum margaritis: ô grande talentum! quod tanti valet, quanti ipse qui accepit, nam talenti hujus jacturam, Deus sibi, nonnisi ipsius perditoris æterna venumdatione compensat: tanti est talentum, quanti cælum, & quanti Deus in gloria sua, quia hujus talenti recta negotiatione, gloria cælestis, Deusquè ipse paratur, *ego ero merces tua magna nimis.* Dum hæc apud vos dissero, ut ad studium Ecclesiasticæ Virtutis promoveam, quo maximè promoventur, ac incitantur mortalium animi, vivens, ac vivax exemplum omnium, quæ in hanc sententiam dici possunt, Antistes noster talentatissimus, æquè ac virtuosissimus, titulo utroquè Illustrissimus, ob oculos nostros versatur. De ejus heroica anima, quod cælestis sponsus de sua sponsa dixerat fas est etiam prædicare: *multæ filiæ congregaverunt divitias, & talentorum & meritorum, tu supergressa es universas.* Præsidet enim Sanctæ huic Synodo, virtute sublimior, quàm dignitate, & altior es meritorum, quàm honorum gradus emensus, Sanctitatis Nomen

cætui

cœtui noſtro impertit, ille ut ad virtutis modum, talenta accepit, quam miramur, ita & ad eandem menſuram, in lucrum Domini expendit, & in eodem modo atquè menſura ad exhibitionem ultimæ rationis conſervat. Meritò igitur ad eandem menſuram, noſtrûm omnium talenta exigit, & imprimis ipſam exigit menſuram, hoc eſt virtutem Eccleſiaſticam, ſummus inter nos utriusquè arbiter, & cenſor, remunerator, & vindex, pro ea ſollicitudine, quâ pervigilat, tanquàm rationem pro ſe, ſuisquè redditurus, hanc Synodum collegit, ideſt univerſale talentorum luſtrum, & virtutis inſtituit arbitrium, ipſe ad explorandam talenti cujusque ſinceritatem, lapis lidius, ipſe ad menſuræ, virtutis inquàm juſtitiam, authentica quædam menſura divinitatis charactere conſignata. Quod enim honoris Divini ſtudium, quem zelum ſalutis proximorum, in Apoſtolis Apoſtolicisquè viris memoramus, quantam æquanimitatem pro ſe, & magnitudinem animi pro Eccleſia, in ſummis quibusquè primorum ſæculorum heroibus? quantam & integritatis propriæ ſollicitudinem, in liliatis innocentiæ Præſulibus, ut non eadem in uno Antiſtite noſtro niſi intueri nolimus, ac ſuſpicere, manibus ipſis non poſſimus attrectare, illum conſtantis, ac perpetuæ voluntatis in bono, voluit eſſe normam, providentia, cui ad tres ſupra ſeptuaginta annos, hunc animi, hunc Corporis vigorem ſervavit. Meritò ſcilicet utriusque viribus viget, ac valet, cui hucusquè non pes à recto deflexit, non manus ab opere DEI defecit, ac vacillavit. Noſtrûm eſt noſtrûm, o Fratres Chariſſimi! tantæ virtutis ita præcepta capeſſere, ut ſimul exempla percipiamus, ac ſectemur, bonitatem verò æternam, ardentiſſimè deprecemur, ut illud exemplar, quod tam vivum dedit, & tam vivax eſſe voluit, ſæculis majus jubeat eſſe, atque diuturnum. Nos interim poſt tanta exempla, qualia vix priſca tulerunt ſæcula, noſtrum quibus omnino beatum eſt, non perperam nobis, profeſsionem noſtram accipiamus, nequè nomen ejus malè interpretemur, O clerus ſæcularis, quaſi verò ſæculum, &

vir-

virtus nihil habeant commune. Sæculares quidem estis, in sæculo commorando, sed non in sæculo, aut juxta sæculi nequam leges, & maximas conversando. Quid refert (ajt *Tertulianus*) ubi (imò quod in sæculo) sitis, quàm extra sæculum estis. In sæculo quidem estis, sed non aliter, quàm Loth mansit in Sodomis. Iob in terra Hus, David cum habitantibus Cedar, Ionas in ventre cæti, Daniel in lacu leonum, ipse Christus inter mortuos liber, sicut rubus ardens in ignibus, absquè nutrimento viroris, sicut lilium inter spinas, citra violationem candoris, tali ratione, & vos in sæculo estis, ac esse debetis, quos neque flamma ignis adurat, aut afflet, nec bellua maris, ejusvè fluctus perdant, nec dens leonis, etiam calumniâ speciem dentis habente lædat, non suis illecebris Cedar incolæ pervertant, non ullæ spinæ saucient, aut lædant: *nolitè* (ajebat Apostolus) *conformari huic sæculo nequam sed reformamini Spiritu mentis vestræ*; meminisse enim debetis, vel non ita vocari, sæculares, ut Spirituales (quod vocatione complexi estis, & ex communi appellatiõe, olim iam audire cæpistis) aliquando esse desinatis. Novimus à subacta Asia Scipionem, alterum Asiaticum, alterum Affricanum ab Affrica fuisse appellatum, Drusum Germanicum pariter à Germania, & à Dacia Decium Trajanum; vestra illa sit gloria coram DEO, & hominibus sæculares, sed à sæculo in vobismet per virtutem Christi subacto, à sæculo sed sub potestatem DEI, ejusquè jugum redacto appellari, nihil obest ob promiscuam inter homines mansionem dici sæculares, si ipse Spiritûs Christi, quem vos amatis & prædicatis, & regula sit vobis, & clausura. Veniet tempus, & forsitan prope est, atquè in foribus; quo nec sæcularibus nomen suum damno, nec Spiritualibus, quin etiam regularibus erit præsidio. Non nominis enim ratio nobiscum inibitur, sed talentorum, non quo quisquè nomine fulserit insignitus, sed quomodo bona Domini sui dispensaverit? tunc apparebit, quantùm lucri feceri-

mus ex talento, utrum virtus, apud nos, primum ante talenta locum tenuerit, utrum virtus noſtra fuerit propria, id eſt propriè dicta, an quoddam incertum ſemen, ac diluculum virtutis, utrum propria virtus fuerit, an à majoribus cognatisque per ambitum quæſita; an per favorem alienum imputata, an denique propria ſtatui? an ad eum impertinens ac aliena? Tunc gaudebit quisque de ſuo lucro, & de adinventionibus manuum ſuarum, cum talento Eccleſiaſticæ vocationis, & omnibus alijs talentis, principale illud comitantibus, demûm videbit Denarium, ſe Diurnum, comparaſſe vitæ æternæ.

A
M E
N

ORATIO SYNODALIS

Perillustris Reverendissimi Domini Domini

JACOBI SZCZUKA,

Canonici Vilnensis Præpositi Grodnensis.

Anno 1717. die 5. Februarij tempore Synodi Diœcesanæ habita.

Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. *Epist:* 1. *ad Corint: Cap:* 4. *Ver:* 9.

SUprà augusta Imperatorum diademata, altiûs excelsis Regum solijs, fulgentibusq; Principum tyaris, vestrum amplissimum Sacerdotij imperium; vestra ligandi solvendiq; in terris Majestuosa potestas eminentiori exposita spectaculo transcendit cuncta mundi fastigia, attingit, imò adæquat cælestis Hemisphærij culmina. Illustrissime Antistes. Illustrissimi, Reverendissimi, Perillustres Admodum Reverendi Domini: Cæteriq; vestris titulis dignissimi Auditores. Eminet hæc Majestas Ecclesiastica tantò superiùs suprà consvetam Regnantium sortem, quantò propiùs, assimilatur Numinibus, *Vos Dij estis, & Filij excelsi;* Vos

inter Deum & populum Mediatores constituti; quorum sacrificijs & mucro sæviens convertetur in vaginam; & efficacissimæ orationis vestræ scuto, adversus ingruentes præsentium calamitatum bellorumq; motus, castra frementia dissolventur. Vos Custodes destinati super muros Militantis in tetris Hierosolymæ, non cessantes inter vestibulum & altare Laudare nomen Domini; Quorum nomina inscribenda in Librum vitæ, cum ejusdem characteris privilegio, ad triumphantem in cælis transferentur Hierosolymam.

O excelsus Regij Sacerdotij honos! o formidanda Angelicis humeris celsitudo! O verè tremendum mundo, Angelis, & hominibus facti sumus spectaculum, dum omnium mortalium oculi in nos reflectuntur, aut ex svavi odore, ac odorifera svavitate exemplaris vitæ mel colligentes, aut ex prava morum licentia germinari spinas & tribulos cernentes. Dignitas profectò Apostolici ordinis vestri vel ex eo maximè veneranda, quod Pastoralis vigilantia, Ecclesiarum Solicitudo, irreprehensibilis vitæ integritas, orbi universo colendam reddat. Sed Spirituum Ponderator, Dominus appendens justitias nostras in statera, invenit nos quandoq; cum Balthasare minus habentes, unde non aberravero; si præsentium calamitatum, sub quibus tot annos gemimus causam esse censuero, Ecclesiasticorum frigescentem charitatem, torpescentem in cura animarum zelum. Quantum spectaculum facti sumus mundo? sagaci inspiciamus mentis oculo, quo apparatu, quo studio idonei efficiamur Ministri constituti regere Ecclesiam DaEI, quam ille acquisivit Sangvine suo.

Percellit nos magnus Gregorius *Hom.* 17. dignâ sanè Pastoralis solicitudinis animadvarsione; *sed quomodo non vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus nostram, curis enim sæcularibus intenti tantò insensibiliores intus efficimur, quantò ad ea, quæ foris sunt studiosiores videmur. Considerate quid de gregibus agat, quando Pastores lupi fiunt.* Hæc ille.

Attendamus, quid ipse salvator ait; verum est, quia excelsis

evexit

evexit nos titulis, iam lucem mundi, iam ſalem terræ, iam lucernas ardentes appellans monensq; *Matt. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Sed ſi contraria agimus, commiſſum ſuſceptumq; onus non adimplemus, pertimeſcamus Salvatoris oraculum. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur, cæci ſunt, & Duces cæcorum, cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*, facilè hic de parvo exemplo morumq; perverſitate loqui, Dominum intelligemus, ſi hæc ſtrictiùs perpendere non gravemur. Sed quantò huic ſpectaculo profundiùs inhæreo, tantò majora ſe offerunt Evangelica Chriſti æternæ Veritatis decreta: *Matt: Cap: 23. Væ vobis quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris patent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia; à foris quidem patetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.* Imò vereor ne noſtrum quempiam ſequentia eodem in loco à Chriſto pronuntiata concernant monita. *Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis ſervate, & facite, Secundùm verò opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt, alligant enim opera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere.* Quantum verò Angelis ſpectaculum facti ſumus, mentis fideiq; aciem intendamus. O quàm immenſam hæ Angelicæ poteſtates in noſtri muneris Officijq; dignitate contemplantur excellentiam? quàm eminens ſuprà communem mortalium ſortem intuentur faſtigium, quantis proſequantur nos ſtudijs! Cernunt hi cæleſtes Cherubini ipſum cælum in noſtras transferri manus, eo inſtanti, quo tremendum incruenti Sacrificij holacauſtum dicamus. Nôrunt hi ipſum Dominum (*qui eſt Sacerdos in æternum*) collocâſſe ſolium ſuum in cordibus juſtorum, *quorum animæ in manu DEI ſunt:* qui pacem ponit fines Eccleſiæ, & frumenti adipe ſatiat nos. O utinam hiſce ſupernis epulis ſatiati ſiamus templum Spiritûs Sancti, imò cælum in nos transformari ſenti-

amus, cûm cæli Dominum in noſtrum ſinum deponimus! Ipſa quoq; Angelorum agmina ad noſtra miniſteria (vi prolatorum verborum Sacramentalium) cæli relictis delicijs ad aſſiſtendum Domino deſcendere & advolare experimur, & hæc DEI magnalia mediante cæleſtium Spirituum comitatu fieri profitemur. Videte & levate capita veſtra, quantâ vos ſuperi coronârunt prærogativâ? ſpectate quanto Majeſtatis dignitatisq; fulgetis charactere? eum in veſtris præcordijs quotidie reclinatis, cui mare & venti obediunt, quem in utero materno clauſum Præcurſor ſenſerat, quem juſtus Simeon expectaverat, Ille deniq; qui humana indutus carne *lacte modico paſtus eſt, per quem nec ales eſurit, vos replet communione calicis, quo Deus ipſe ſumitur.* Noſtrum eſt inſpicere conſcientiarum latebras in conſpectu Altiſſimi, qui corda novit omnium, utrum correſpondeamus vitæ morumq; caſtimoniâ, tam præcelſum ambientes myſterium, quibus commiſſa hæc eſt æterni fæderis Angelicis tremenda humeris celſitudo. Hæc eſt de cælo fortitudo noſtra, quam ſi condignè gradui noſtro tractemus, non timendum, *quid faciat nobis homo? Nemo enim ſumat ſibi honorem hunc, niſi vocetur à DEO tanquam Aaron.* Hæc magna & auguſta ſacerdotij dignitas, prout cæteras mundi excellit honorum amplitudines, ita ipſam regnantium adæquat, aut ſatiùs ſuperat Majeſtatem. Quandoquidem: *tantò ſuperiùs eſt omnibus, Regnis ſacerdotium, quantum eſt intervallum inter Spiritum & carnem,* aſſerit *Antonius Abbas.* Majores profectò eminentioresq; Regum quisq; prætendere ſolet ſerenitatis titulos, qui liberis imperat populis. At Sacerdotes ipſos Reges regere quis dubitabit? Tot enim quivis ſacerdos numerat obſequio ſibi obligatos Reges, quot â ſupremo Cælorum Rege curæ ſuæ commiſſas habet animas. Jure merito Apoſtolorum, noſterq; peculiari titulo Princeps Petrus hiſce nos extollit verbis *Epiſt: 1 Cap: 2do: Vos eſtis genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis.* Neq; hæc ſuprà humanum ambitum ſacerdotij ſublimitas absq; periculo eſſe cenſenda

eſt

eft. Infernalis ille capitalisq; DEI, & hominum hoftis, fub profanæ mundanæq; deceptionis Splendoribus, vitiorum monftra malè cautis hominibus infinuare confvevit. Quis non experiatur mendaciorum auaritiæq; effe fautorem Mercurium, effrænatæ iræ furentem Martem, ebrietatibus infatiabilem Bacchum, aliarumq; larvarum fcelera, authore peccati Diabolo mundo invexiffe. Non ceffant hucusq; ejusdem inimici Principis terrarum infernales artes, & toti humano generi intentare, & fingulari aftu in Ecclefiafticos fæviùs affurgere, movereq; ferociores infultus & prælia. Non ignorat callidus ille inimicus malum fuperiorum exemplum, originale quoddam delictum effe, eosq; æternæ Veritatis cernens conftitutos effe Adminiftros, illorum defectus, profanos mores, vitam fcandalofam, & fi quæ occurunt vitia, cæteris hominibus malitiofè proponit, imitandaq; fvadet. Et quod deteriùs eft, multis grata funt facerdotum delicta, ut ijs excufent fua, & ut minuant vitiorum fuorum facinora, audaciùs exaggerant aliena delicta, & fæpius malitiofè confingunt. Neq; tam curiofè eminentiores Ecclefiafticorum virtutes, bonaq; exempla, quàm vitia advertuntur. Et prout hæc poteftas facerdotalis fublimioris honoris faftigio excellit cætera honorum culmina, ita ob regiminis difficultatem, immenfosq; labores, ardua eft, & plena periculi. Ut verò condignè collaboremus Evangelio fecundùm virtutem DEI, perpendamus vocationem noftram, quàm grande animarum depofitum, pretio Chrifti fangvinis redemptarum manibus noftris geftamus. Offerunt fe nobis certamina cum Hærefeos belluis, quæ perversâ doctrinâ magnam Stellarum partem de cælo militantis Ecclefiæ in luctuofam egerunt ruinam; debellanda non folùm peccatorum monftra, fed etiam orthodoxæ fidei exterminanda ignorantia, hoftesq; Ecclefiæ & DEI, veftrâ vigilantiâ, veftrâ fidelitate devincendi.

Animet nos ad hunc Apoftolici zeli fervorem DEI & Proximi amor, indefeffa veritatum æternarum trutina: *fvavia elo-*

quia Domini super mel & favum, mandatorum DEI, præceptorumq; Ecclesiæ rigor, indispensabilis deniq; vi characteris suscepti strictissima obligatio. Quod si hæc non moveant, moveat timor Judicij gehennæq; æternæ, quia hic sanguis de manibus tuis requiretur.

Compungat mentes animosq; nostros Sancti Gregorij supremi Ecclesiæ Capitis monitum: *Ad exteriora enim negotia delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, atq; aliud ex Officio actionis exhibemus, ministerium prædicationis relinquimus, qui honoris nomen, non virtutis tenemus.*

Ne quem verò mea hæc offendat oratio, cum ad Vos peculiari respectu hic meus dirigitur sermo mihi quoq; dico, cum me Sacerdotem vobiscum ejusdem characteris agnosco.

Horret animus, pertimescit Spiritûs, dum ad Judæ Apostoli Catholicam Epistolam, Spiritûs Sancti utiq; digito exaratam, convertitur; qui plus impendimus solicitudinis privatis commodis excessibus profanis; taceo inexplebilem quorundam Ecclesiasticorum colligendarum divitiarum aviditatem, publicas usuras, insatiabiles ebrietates, aliaq; sexcenta iniquitatum monstra, præterire non possum, quin sacrum præfati Apostoli textum fideliter referam. *S. Iudas Epist: sua ver* 12. *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aquâ quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales; infructuosæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Declinabimus euademusq; procul dubio has & similes animadversionum censuras, si sedulò spectemus Illustrissimi hujus congressûs scopum.

Convocavit nos in hanc urbem ad Ecclesiam hanc in Ducatu nostro matrem Optimi Pastoris, paternus & vigilans Apostolicus Zelus, qui cupiens videre sponsam suam sine nævo, in amplissima hujus suæ Diæceseos vastitate, cum Illustrissima sacri

sui

ſui Senatûs aſſiſtentia, ut quæ ſunt debilia, ſtabiliat, quæ minantia ruinam, fulciat; quæ vitioſa reſecet, diſſoluta & defectuoſa ad priſtinum Eccleſiaſticæ diſciplinæ redigat vigorem, ſacrorumq; Canonum obſervantiam.

Rex qui ſedet in Solio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo Prov. 20. *Cap:* Conſcendiſti Illuſtriſſime Præſul, primusq; magni Ducatûs Litvaniæ eminentiſſimus Senator, jam dudum ampliſſimis beneficijs tuis cumulatam per triginta proximê annorum curriculum Pontificatûs tui ſplendoribus, & eximijs doctrinis Illuſtratam Cathedram tuam. Certê ſi quid adhuc devium reperibile ſit, intuitu tuo cuncta diſſipaturus.

Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat, & qui illam diligit, diligit vitam. Eccleſiaſte Cap: 4. Ver: 13.

Inſpiraſti magne Conſtantine filijs tuis ſapientiæ conſiliorumq; vitam, per præſentem Illuſtriſſimum congreſſum Synodalem ſicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans expandiſti alas vigilantiſſimæ ſolicitudinis tuæ. Habes tuo nomini obligatos, tuæq; Paſtorali authoritati ſtrictiori vinculo addictos, quos ipſe tuis virtutibus, Sanctiſſimisq; exemplis enutritos conſpicis; jamq; nos ſingulos ſub tui Præſulei honoris auſpicijs in ſortem miniſterij, & in partem laborum tuorum vocatos intueris.

Quibus quantisq; conſilijs ex ſtatione Senatorij culminis Patriam ſuffulſiſti; quanto fervore & zelo Eccleſiam (ſtrenuê ejus defensâ immunitate) protexiſti; taceo ego, ſera & immortalis loquatur poſteritas.

Quem itaq; ſepticollis Roma, Zeloziſſimum Antiſtitem non ſemel in Urbe Præſentem, ſummisq; Pontificibus intimum ſolij Aſſiſtentem venerabatur & coluit. Eundem hodie noſter cætus vigilantiſſimum Paſtorem adorat.

Vive tot ſæcula, quot in ãno celebras & numeras Conſtantinos, donec ad immarceſibilem plenus dierum meritorumq; eveharis coronam.

Aſt quoniam cecidit ſors ſuper Mathiam, & Mathias excelſis

ſuprà ſortem in Republica & Eccleſia fulgens meritis norma A-poſtolici zeli & victima charitatis factus, omnium voto divinâ diſponente providentiâ deſtinatus Coadjutor, Tuis ille in columis aſſiſtat annis; fulciatq́; feſſos Paſtorali ſolicitudine humeros. Vos verò Almi hujus Capituli ſacriq́; Senatûs quotquot purpuratos Catones intueor, non deviabo, ſi vos ſingulos ut clariſſimas ideas toti huic Hierarchiæ Eccleſiaſticæ in ſpectaculum virtutum imitandarum proponam. Quos alios Epiſcopali cum Senatoria dignitate conſpicuos, Alios propter eminentes ſcientias rarasq́; qualitates in prima ſydera Eccleſiæ aſſumptos, alios in Reipublicæ arduis negotijs conſpicuos Conſiliarios, alios ex Senatoria ſtirpe; primisq́; Regni familijs junctos; Univerſa hæc par Regnis Provincia ſpectaculum exemplaris vitæ pietatisq́; in vobis colit & intuetur.

In his omnibus Regi Regum, Paſtori Paſtorum, *à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre Luminum*; (*Ep: S. Iaco: Cap:* 1.) fiat Laus, Honor, Virtus & Gloria.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. H. SS. OOq́;. Venerationem

ALLOCUTIO

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi, Domini Loci Ordinarij

poſt completum ſermonem: *Fratres dilectiſſimi &c:* ex Pontificali Romano, habita in ipſa concluſione Synodi juxta dicta numero: 107.

NOverunt credo dilectiones veſtræ, neceſſitate Canonicæ Sanctionis Conc: Trid: quotannis Synodum Diœceſanam, omninò debere celebrari, ſed quia in hac ſtrictioris Obſervantiæ legis obligatione videtur me diſpenſare, tum juſta conſideratio, extenſæ nimis in longum & latum amplitudinis Diœceſis meæ, ut vix intra quinquennium, ſeu ad minùs triennium illa expediri poſſit; tum ratio provectæ ætatis meæ, & legis naturæ indiſpenſabiliter juxta voluntatem Divinam brevi adimplendæ. Qua propter abſolutâ jam feliciter per DEI ſingularem gratiam præſenti Synodo, omnibus ac ſingulis Charitatibus Veſtris ultimò valedicendo, à Datore omnium bonorum, & DEO totius conſolationis, omnia proſpera vobis evenire ex animo opto, atq; enixè Fraternitates Veſtras rogare contendo, quatenus coram Divina majeſtate, in SS. ſacri-

cijs, tam in vita superstitis, quàm exuti corporis mortalitate, velint meminisse mei. Si quem autem ex vobis, quomodocunq; offendisse contigit, meæ humanæ fragilitali, in charitate Fraterna, ignosci flagrantissimè postulo.

Iam ergo finitis per DEI gratiam feliciter nostris Comitijs Synodalibus, nunc possum jactari ad exemplum Sancti Pastoris, quod sim utiq; Pastor bonus, quia cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ ita, ut paratus sim animam meam ponere pro Ovibus meis, quandocunq; opportuna se offeret occasio.

ORDO ECCLESIARUM & CATHALOGUS UNIVERSI CLERI Diœcesis Vilnensis.

Ecclesia Cathedralis.

Illustrissimi, Reverendissimi, Perillustres Admodum Reverendi Domini Prælati & Canonici hujus Ecclesiæ capitulariter descripti.

PErillustris Reverendissimus D. Petrus Połubinski *Præpositus.*
Perillustris Reverendissimus D. Boguslaus Gosiewski *Decanus.*
Illustrissimus Reverendissimus D. Alexander Horain Episcopus Samogitiæ, *Archidiaconus.*

Illu-

Illustrissimus Reverendissimus D. Mathias Ancuta Episcopus Misinopolitanus, Coadjutor, Suffraganeus, *Custos*, *Refferendarius M. D. Litv.*

Perillustris Reverendissimus D. Martianus Szaniawski, *Scholasticus.*

Illustrissimus Rerendissimus D. Carolus Pancerzyński, Suffraganeus albæ Russiæ, *Cantor*, Notarius M. D. Litt.

Perillustris A. R. D. Christophorus Białłozor S. Theol: Licent: *Canonicus.*

Perillustris Reverendissimus D. Michaël Zienkowicz Nominatus Suffraganeus Samogitiæ, *Canonicus.*

Perillustris Reverendissimus D. Ludovicus Ogiński Nominatus Episcopus Smolenscensis, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Petrus Karp, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Iacobus Szczuka, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Andreas Wołodkowicz, *Canonicus.*

Perillustris Reverendissimus D. Georgius Ancuta I. U. Doctor, *Canonicus & Officialis Generalis.*

Perillustris A. R. D. Franciscus Gieczewicz, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Dominicus Przecławski, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Christophorus Połubiński, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Hilarius Gintowt, *Canonicus.*

Perillustris A. R. D. Adamus Kiełpiński, *Canonicus,*

Perillustris A. R. D. Ioannes Bychowiec, *Cancellarius Diœcesis.*

Perillustris A. R. D. Alexander Zebrowski S. Theol: & J. U. Doctor, *Archidiaconus Albæ Russiæ,*

Vice-Prælati, & Vicarij ejusdem Ecclesiæ.

A. R. D. Emmanuel Przekopski, *Pænitentiarius* qui & *Vice-Custos.*

A. R. D. Petrus Rozewski, *Concionator Cathedralis.*

A. R. D. Andreas Horn *Vice-Decanus.*

A. R. D. Martinus Kamiński, *Vice-Cantor.*

A. R. D. Andreas Szegsznar.

A. R. D. Michaël Mackiewicz,
A. R. D. Simon Zawadzki.
A. R. D Simon Gaylewicz.
A. R. D. Simon Dowiat.
A. R. D. Iacobus Arawinko.

Decanatus Vilnenſis.

Vilnæ *Illuſtres Admodum Reverendi Domini Præpoſiti Parochi & Commendarij.*

Eccleſia Parochialis S. Ioannis	Ioannes Tołſcikiewicz Prothonotarius Apoſtolicus, C. S.
Eccleſia Præpoſitalis S. Petri in Antokole.	Petrus Procewicz *Canonicus, Reg: Later:* S. T. D.
Eccleſia Præpoſitalis S. Stephani	Carolus Ludkiewicz.
Eccleſia Parochialis S. Auguſtini in Zarzecze.	Canonici Reg: BB. MM. *de pænit:*
Eccleſia Præpoſitalis SS. Trinitatis.	Petrus Schenfelt C. S. Magr: Cær: Cath:
Eccleſia Præpoſitalis SS. Nicodemi & Ioſephi.	Michaël Dąbrowſki C. S.
Eccleſia Præpoſitalis S. Mariæ Magdalenæ.	Andreas Szegſznar.

Extra Vilnam Parochiales.	*A. RR. DD. Parochi.*
Ławaryſzki.	Adamus Wyſogird.
Rudomina	*Filia Eccleſiæ S. Ioannis.*
Turgiele.	Andreas Kurczbach.

Nie-

Niemenczyn,

Meyſzagoła.
Altaria.
Kiernow.
Altaria.
Podbrzeźie.

Miedniki.

Rukonie.
Cudźieniſzki.

Decanatus

Poboyſk.

Szeſzole.
Nidoki.
Zmoydki.
Owanta.
Altaria.
Skiemiany.

Bolniki.
Widźieniſzki.

Malaty.
Inturki.

Illuſtriſsimus Epiſcopus Samogitiæ *qui ſupra.*
Simon Raczkowſki.
Vacat.
Nicolaus Cwiecinſki. Can: Reg.
Ioannes Przyiałgowſki.
Alexander Deborowſki.
BB. MM. *de pænit:*
Samuel Wiſcicki Can: Reg:
BB. MM. *de pænit.*
Vacat.
Ioannes Bychowiec
Cancell: Diœceſanus.

Poboyſcenſis.

Illuſtres, A. RR. DD.

Decanus & Parochi.

Matthias Eygird *Decanus & Parochus.*
Petrus Eymont.
Jacobus. Swielewicz.
Chriſtophorus Dowalewicz.
Gabriel Merło Ianuſzkiewicz.
Vacat.
Staniſlaus Moniuſzko Can: Reg:
BB. MM. *de pænit.*
Vacat.
Perilluſtris A. R. D. Liberius Glinda Præpoſitus Infulatus. Can: Reg: BB. MM. *de pænit.*
Carolus Merecki.
Florianus Sobolewſki.

Du-

Dubinki.	Petrus Wężyk Ambrozewicz.
Szyrwinty.	Adalbertus Szepiotowſki.
Giedroycie.	Nicolalus Sawiniwicz Decanus
Muſniki.	Georgius Dackiewicz. (Viln;
Upniki	*Vacat.*

Decanatus Oſzmianenſis.

Illuſtris, A. RR. DD. Decanus & Parochi.

Oſzmiana;	Perilluſtris Reverendiſsimus D. Boguſlaus Goſiewſki.
Zuprany.	*Vacat.*
Soły.	Stephanus Swirkowſki.
Oſtrowiec.	PP. Ord: Prædicatorum.
Worniany.	Georgius Kurczbach *Decanus & Parochus.*
Gierwiaty.	Adalbertus Nicolaus Bohuſz.
Smorgonie.	Mathias Woronowſki.
Cicin.	*Filia Smorgonenſis.*
Olſzany	PP. Ord: S. Franciſ: Min; Conv.
Krewo	*Vacat.*
Altariæ 2.	Petrus Matuſewicz.
	Staniſlaus Baranowſki.
Łoſk.	Michael Szwarc.
Traby.	Antonius Wołmiński
Altaria.	Martinus Domucewicz. (C: Plit;
Surwiliſzki.	*Vacat.*
Narwiliſzki.	PP. Franciſcani.
Grauzyſki.	*Vacat.*

Decanatus	Swirensis: Illustris, & A. RR. DD. Decanus & Parochi.
Swir.	Illustrissimus Coadjutor, Suffraganeus Vilnensis.
Altaria 1*ma.*	Petrus Białłynski.
Altaria 2*da.*	Adalbertus Bohusz.
Miadzioł.	Carolus Szemioth.
Altaria.	Alexander Kałusowski.
Postawy.	Andreas Szczęsny.
Zadziewie.	Iosephus Szylf.
Komaie.	Ioannes Bołondziewicz.
Łyntupy	Simon Mamulewski.
Altaria.	*Vacat.*
Swiranki,	*Vacat.*
Bystrzyca.	Stephanus Paszkiewicz.
Michaliszki	Canonici Reg: BB, MM. *de panit.*
Zodziszki	Casimirus Juniewicz.
Daniuszow.	*Filia Ecclesiæ Sołensis.*
Woystom,	Nicolaus Kozioł, *Decanus & Parochus,*
Kurzeniec.	Martinus Bazarewski.
Kobylnik.	Ioannes Kobiernicki.
Koscieniewicze.	*Vacat.*
Niestaniszki.	Martinus Załoszka.

Decanatus.	Lidensis. Illustris Decanus, & A. RR. Domini Parochi.
Lida.	Laurentius Bordynski *Decanus, & Parochus.*

Biało-

Białohrud.	*Vacat,*
Wawiorka,	*Vacat.*
Dylewo,	*Vacat.*
Waśiliſzki.	Martinus Łuczewſki.
Iſzczołna.	Iacobus Prokopowicz.
Bielica,	PP. Ord. Prædicatorum.
Zołudek	Ioannes Borowſki.
Rożanka	Antonius Narkiewicz.
Kamionka	Baſilius Strutyńſki.
Lackie.	Stanislaus Opielſki.
Nowydwor	Michàël Orzechowſki.
Zabłoćie.	Michàël Grycewicz.
Zyrmony.	Mathias Witkowſki.
Horodna.	Ioſephus Olſzewſki.
Nieciecza.	Antonius Kałuſowſki.

Decanatus Radunenſis.

Illuſtris Decanus, & A. RR. Dni. Parochi.

Radun.	Mathæus Porcik.
Altaria,	*Vacat.*
Eyſzyſzki,	Bartholomæus Hryncewicz.
Dubicze,	*Filia Radunenſis.*
Nacza.	Michàël Ławrynowicz.
Soleczniki,	*Vacat.*
Altaria.	*Vacat.*
Bieniakonie	Dominicus Konopka.
Hermaniſzki	Ioannes Kołakowſki.
Błotno,	*Filia Hermaniſcenſis.*
Trokiele,	Simon Ianuſzkiewicz.
Dworzyſzcze	*Filia Trokielenſis.*

Giera-

Gieranony	Illustrissimus Episcopus Samogitiæ. *Vice-Prælatus* (Iacobus Naruszewicz.
Subotniki,	Illustris Ioannes Dąbrowski.
Zygmunciszki.	Petrus Wzorek.
Lipniszki.	*Idem.*
Iwie,	Vladislaus Mackiewicz *Decanus & Parochus.*
Dudy,	*Filia Iwiensis.*

Decanatus Viłkomiriensis.

Illustris Decanus, & A. RR. Dni: Parochi.

Wiłkomirz.	Antonius Kossakowski.
Alt: Towiany	Illustrissimus Suffraganeus Vilnensis.
Dźiewiałtow	Ioannes Szymborski.
Siesiki	Gieorgius Iacewicz.
Pogiry.	Thomas Walentynowicz.
Szaty.	Laurentius Strebeyko.
Zeymy.	Andreas Medeksza,
Kieydany.	Casimirus Petrusewicz.
Opitołoki.	Casimirus Surblewicz *Comendarius.*
Remigoła.	Petrus Sacewicz *Perpetuus Vicarius.*
Altaria.	*Vacat.*
Poniewiez.	Stanislaus Jałgowski, *Perpetuus Vicarius.*
Troupie,	*Vacat.*
Rogow,	Stanislaus Januszkiewicz.
Neostadium,	Casimirus Strawiński *Decanus, & Parochus.*
Onikszty,	Perillustris Reverendissimus D. Boguslaus Gosiewski
Altaria.	*Vacat.*
Kowarsk,	Thomas Koźieł.
Kurkle,	Canon: Reg: BB. MM. *de pœnit.*

Widźiſzki	*Filia Wilkomirienſis.*
Traſzkuny,	PP. Ord: S. Franciſci min: *de obſervantia.*
Pompiany	PP. Ord: Carmelit: *ant: obſervantiæ.*

Decanatus Kupiſcenſis.

Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.

Swiadość	Illuſtris Melchior Bohuſz C: *Livoniæ.*
Szymance,	Ioannes Ziołkowſki *Commendarius*
Kupiſzki,	Michàël Piotrowſki.
Subocz,	Caſparus Chlewicki.
Wobolniki,	Caſimirus Czaykowſki, *Decanus, & Parochus.*
Poſwol,	Stephanus Stangur.
Kryniczyn,	Ioſephus Marćinkiewicz.
Podbirze,	Antonius Ribiński C: S. *Proth: Apoſtolicus.*
Birze,	*Idem.*
Poniewonie,	Laurentius Ralewicz Can: Reg: BB. MM. *de pænit.*
Rakiſzki,	Adamus Ioſephus Fiſzer.
Abele,	Simon Tołwinſki.
Krewno,	Petrus Caſimirus Boniſzko.
Duſiaty,	Martianus Koſieradzki.
Sieuruki,	*Capella.*
Juzynty,	Michàël Mazurkiewicz C. Reg: BB. MM. *de pænit.*
Skopiſzki,	Illuſtris Ioſephus Puzyna C: S. S. Theol: licent.
Uciana,	*Idem.*
Uſzpole,	*Filia Vcianenſis.*
Wizuny,	Ioſephus Juſiewicz.
Komayki,	Dawid Podubrynowicz.
Ponedele,	Martinus Goſtkowſki.
Wenuſow,	*Vacat.*
Hanuſzyſzki.	*Filia Abelenſis.*
Poniemonie ſeu Kwerki,	Ord: S. Auguſt: Can: Reg: BB: MM. *de pænit:*

Decanatus	Bracłaviensis. *Illustris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.*
Hoduciszki,	Illustris Petrus Schenfeltt *Magister C. Eccl: Cath:*
Swinciany,	Joannes Neystadt.
Altaria,	*Idem.*
Dawgieliszki	Michaël Urbanowicz.
Lymgmiany.	Casimirus Gąsiorowski.
Kołtyniany.	PP. Ord: S. Franc: *Convent:*
Kukuciszki	Jacobus Węckowicz.
Łabonary.	*Filia Kukuciscensis.*
Tauroginy.	Georgius Raximowicz.
Sołok.	Illustrissimus Episcopus Hieropolitanus.
Jeziorosa.	Joannes Tołwinski.
Dryświaty.	Joannes de Węda.
Bracław.	Perillustris A. R. D. Dominicus Przecławski, C. Vilnen:
Druia.	Perillustris Stephanus Dębkowski.
Ikazn.	Stanislaus Sinicki.
Pohost.	*Filia Ikaznensis.*
Widze.	Adalbertus Narbutowicz, *Decanus.*
Twerecz.	Thomas Trzeszewski.
Miory.	Ludovicus Dziakonski, BB. MM. *de pœnit:*

Capellæ in hoc Decanatu.

Sieniszki, Rymszany, Suginty, Dukszty, Smołwy, Suwiek, Opsa, Mile.

Deca-

Decanatus	Trocenſis. Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.
Olkieniki.	Iacobus Ioannes Miśiewicz, *Decanus.*
Troki Præpoſitura	Perilluſtris A. R. D. Marcianus Szaniawſki.
Troki Abbatia.	Perilluſtris A· R. D. Carolomanus Myślinſki, Abbas *Ord: S. Benedicti.*
Anuſzyſzki.	*Vacat.*
Piwoſzuny.	PP. Ord: S. Benedicti.
Punie.	Michàël Piotrowſki, *Commendarius.*
Olita.	Franciſcus Ludkiewicz, *Commendarius.*
Daugi.	Valentinus Dyrwoniſzko.
Przełaie.	*Filia Daugienſis.*
Niemonoyćie.	Martinus Pukiński.
Nietowiſzki.	Georgius Kaſperowicz.
Łyſzkow.	Adamus Tomaſzewicz.
Merecz.	Georgius Juſzkiewicz.
Altaria.	Idem.

Decanatus	Semnenſis. Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.
Urdomina.	Michàël Obuchowſki, *Commendarius,*
Łozdźieie.	Andreas Widmont.
Siemno.	Michàël Borkowſki.
Balwierzyſzki.	Staniſlaus Piotrowſki.

Udrya.	Mathæus Ambrożewicz.
Metele.	Carolus Andrzeykowicz.
Sereie.	Idem.
Swięte. Ieźiora.	*Vaca.*
Wieyśieie.	*Vacat.*
Leypuny *Capella.*	*Vacat.*
Berzniki.	Andreas Mrayſki.
Seyny.	PP. Ord: Prædicatorum.
Punſk.	Carolus Budrewicz, *Decanus.*

Decanatus Grodnenſis.

Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.

Grodno.	Perrilluſtris Iacobus Szczuka, C. Vilnenſis.
Altariæ duæ.	*Vacant.*
Præceptura Xenod.	Idem Perilluſtris Canonicus.
Ożá.	Stephanus Makowſki.
Ieźiorá.	Czernicki Commendarius.
Kwaſowká.	Petrus Konopka.
Eyśmonty.	Adalbertus Siechnowicz.
Brzoſtowica minor.	Baſilius Strawinſki.
Krynki.	Ioannes Zebrowſki, *Commendarius.*
Odelſk.	Franciſcus Kaczkowſki, *Commendarius.*
Kuznica.	Michàël Wyrwicz, *Commendarius.*
Sokołká.	Adamus Rokicki, *Decanus.*
Szudźiáłowo	Ioannes Borowſki, *Commendarius.*
Sokolány.	Mathias Kobylinſki.
Indura.	Perilluſtris Staniſlaus Kaczkowſki, C. *Poſnanienſis.*

Koń-

Kondzyn.	Stanislaus Łuba.
Dąbrowka.	Stanislaus Barszczewski.
Altaria.	*Vacat.*
Nowydwor.	Simon Koc.
Altaria 1*ma*.	Andreas Dąbrowski.
Altaria 2*da*.	Babiński.
Krasnobor.	Michäel Kulikowski.
Lipsk.	Gabriel Wnorowski.
Zaleśie.	*Vacat.*
Sidra.	Paulus Pieńczykowski,

Decanatus Caunensis.

Illustris Decanus, & A. RR. DD. Parochi,

Kowno.	Perill: Stephanus Dębkowski, *Cust: Prał: Samog:*
Præpositura S.Crucis extra civitatē.	Adalbertus Dowgiało, *Decanus.*
Iezno.	Vladislaus Pjecewski.
Stoklis zki.	Georgius Chłusowicz.
Wysoki Dwor.	PP. Ord: Prædicatorum.
Sumilis zki.	Georgius Ryzgiewicz.
Zyżmory.	Franciscus Zub'
Zosle.	Casimirus Pieciukiewicz,
Poporćie.	PP. Ord: Prædicatorum.
Kormiałowo	Stephanus Brzozowski, *Commendarius.*
Łopie.	*Filia ejusdem Ecclesiæ.*
Giegużyn.	*Vacat.*
Skorule.	Vladislaus Okmiański.

Wadźiagołá	Paulus Petrus Nowomieyſki.
Rumſzyſzki.	Alexander Silewicz.
Uzugośćie.	*Vacat.*
Dorſuniſzki.	Florianus Golgont.
Preny.	Michàél Borowſki.
Berſztany.	*Filia ejusdem.*

Decanatus Olwitenſis.

Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.

Olwita.	Perilluſtris Michàél Zieńkowicz, C. *Vilnenſis.*
Grażyſzki.	Ioannes Michàél Monkiewicz.
Kalwarya.	*Filia Grażyſcenſis.*
Wiżayny.	Caſimirus Wiłowicz.
Łankieliſzki	Hyacinthus Niewiardowſki.
Poiewonie.	*Filia Olviten:* Antonius Pacewicz; Commend:
Bartniki.	*Filia Olviten:*
Wiſztyniec.	*Vacat.*
Filipowo.	Ioannes Iakowicz.
Przeroſl.	Caſimirus Truſkolaſki.
Bakałarzow	*Vacat.*
Raczki.	Franciſcus Iakinowicz.
Ianowka.	Caſimirus Modzelewſki, *Decanus.*
Wilkowiſzki.	Matthæus Klimowicz.
Pilwiſzki.	*Filia Wiłkowiſcenſis.*
Suwałki.	*Capella Patrum Camaldul:* Eremit:

W Deca-

Decanatus	Połocenſis. Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.
Dołhynow.	Casimirus Szymkiewicz.
Dokſzyce.	Ioſephus Boniewicz.
Parafianow.	Dominicus Krutulſki.
Głębokie.	Caſimirus Wołczek.
Leple.	Franciſcus Zaborowſki. C. S.
Kublicze.	Ioannes Pietuch.
Altaria.	Matthæus Ambrożewicz.
Wołkołata.	Ioſephus Kleczkowſki, *Decanus.*
Altaria.	*Vacat.*
Duniłowicze.	Caſimirus Kociel.
Zadoroż.	Nicolaus Iawſzewicz.
Dźiſna.	Ioannes Łuniewicz.
Połock.	PP. Soc: IESU.
Bieſzeńkowicze.	*Vacat.*
Serwecz.	*Vacat.*

Decanatus	Novogrodenſis Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.
Nieświeź.	Erneſtus Caſimirus de Latour C. S.
Altaria 1*ma*.	Ioſephus Benedykiewicz.
Item Altariæ tres.	*Vacant.*

Kleck.

Kleck.	Michàël Zaleſki.
Niedzwiedzica.	Petrus Leſzczyńſki.
Lipſk.	Sebeſtianus Koſmowſki.
Kroſzyn.	Antonius Tyſzkiewicz. C: S:
Sienno.	Staniſlaus Kuczycki.
Nowogrodek.	Valentinus Gieczewſki *vicarius perpetuus*,
Altariá 1ma.	Felicianus Ancuta.
Altariá 2da.	*Vacat*.
Swoiátycze.	Szczerbicki
Iſkołdz.	Perilluſtris Hilarius Gintowt C. *Vilnenſis*
Snowia.	Georgius Minkowſki.
Mir.	Ioannes Konczewſki *Decanus*.
Altaria.	*Vacat*.
Swierżno.	Martianus Buialſki.
Mikołaiewſzczyzna.	Michàël Hrynkiewicz.
Niehniewicze.	Kuczycki *Qui ſupra*.

Decanatus Słonimenſis.

Illuſtris Decanus, & A. RR. DD. Parochi.

Słonim.	Perilluſtris Adamus Kiełpińſki C. *Vilnenſis*.
Darewo.	Antonius Kotowſki.
Myſz.	Ioachimus Małachowſki.
Lachowicze.	Perilluſtris R. D. Petrus Połubińſki Præpoſitus Prælatus Vilnenſis.
Altaria.	Romanus Franciſcus Pawłowicz.
Stwołowicze	Ioannes Skrodzki.

Altariá.	*Vacat.*
Zadzwieie.	Nicolaus Szy llf Commendarius.
Horodyſz-cze	Ioannes Szczuka.
Staro-Ielna.	Perilluſtris Chriſtophorus Połubiński C. Vilnenſis.
Wſielub.	Staniſlaus Bielewicz.
Zdzięcioł.	Franciſcus Georgius Iotkowſki *Decanus.*
Dworzec.	Malcher Staſzkiewicz.
Rohotna.	Andreas Malewicz.
Mołczadz.	Petrus Milewſki.

Decanatus Rozanenſis

Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.

Rożana.	*Vacat.*
Łukonica.	Dominicus Makowiecki.
Łyſkow.	Ioannes Petrus Iankowſki *Decanus*
Porozowo.	*Vacat.*
Zelwa.	Gabriel Szmitch
Moſty.	Ioannes Patyński.
Dereczyn.	PP. Ord. Prædicatorum.
Miedzyrzecz	Antonius Podbereſki.
Koſſow.	*Vacat.*
Olſzewo.	Ioannes Tomaſzewicz.
Łahiſzyn.	PP. Soc. IESU.
Ianow.	PP. Benedictini.

Decanatus Vołkovyſcenſis

Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.

Wołkowyſk.	Martinus Wołk.

Hnie-

Hniezno.	*Vacat.*
Swiſtocz.	Adamus Skrzetuſzewſki.
Iałowka.	Caſimirus Cimochowicz.
Brzoſtowica maior.	Illuſtriſſimꝰ Pancerzynſki Epiſcopus Hieropolitanus.
Altariá.	*Vacat.*
Szydłowice	Nicolaus Iuſzkiewicz.
Reple.	Michaël Kozłowſki,
Wołpa.	Perilluſtris Ioannes Bychowiec *Cancellarius*
Altaria.	Ioannes Mocarſki.
Łunna.	Filia Wołpenſis.
Roś.	Iacobus Rynkiewicz. *Decanus.*
Krzemienica	RR. Dñi. Canonici Regulares Lateran:
Mſcibow.	Paulus de Rachetty.
Strubnica.	Antonius Czartoſzewſki.

Decanatus. Vitebſcenſis.

Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi

Witepſk.	Laurentius Ruſzkowſki *Commend:*
Boryſow.	Simon Gabriel Łoykiewicz. C: S:
Czereia.	Bartholomæus Ihnatowicz.
Łukoml.	Mathias Piotrowicz.
Altariá Rudnoſiele.	RR. DD. Miſſionary.
Sienno.	Patres ord. S. Franciſci convent.
Bielica	PP. ord. Prædicatorum.
Oſtrowno.	Iidem.
Sorżyca.	*Capella in bonis V. Capituli Vilnenſis.*

De-

Decanatus	Orſzanenſis.
	Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.
Orſza.	Nicolaus Daſzkiewicz *Decanus.*
Hory Horki.	Perilluſtr. Petrus Połubiński *Præp: Præl. Cath. Viln.*
Mſciſław,	PP: Carmelitæ *ant. obſer.*
Czauſy,	Iidem.
Szkłow.	PP. Ord. Prædicatorum Provinciæ Ruſſiæ.
Mohylow.	Marcus Szaſzkiewicz.
Altaria 1.	Staniſlaus Iankowſki.
Altaria 2.	*Vacat,*
Bychow.	Canonici Reg. *Lateran.*
Stary Bychow	Iidem.
Białynicze,	PP. Carmelit. *ant. Obſer.*
Staroſiele.	Ioannes Kawinſki.
Tołoczyn.	Ioſephus Chruſzczewſki.
Obolce,	Martianus Moyſes Stancewicz *Commend:*
	Antonius Woronowſki *Vicarius.*
Smolany,	PP. Ord. Prædicatorum.
Dąbrowna,	PP. Ord. S. Franc: *min. de obſerv.*
Kadżyn.	Staniſlaus Iankowicz:
Worockow.	Staniſlaus Iankowſki.
Malatycze.	PP. Ord. Prædicatorum,
Decanatus,	Minſcenſis,
	Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.

Minſk

Mińſk.	Illuſtriſſimus Carolus Pancerzyńſki Eppus. Hierop:
Altariæ 2.	
Iwieniec.	Michäël Mocarſki. *Qui et Decanus.*
Wołma.	Paulus Kaſperowicz.
Chołchła.	Florianus Diamentowicz.
Naliboki.	Franciſcus Czerniewſki.
Derewnia.	*Vacat.*
Kamien.	*Vacat.*
Altariá.	Michäël Mocarſki.
Pierſzaie.	*Vacat.*
Altariá.	*Vacat.*
Wiſzniew.	Adamus Witkowſki.
Zabrzezie.	Stanislaus Baranowſki.
Rakow.	PP. Ord. Prædicatorum.
Koydanow.	Antonius Szymanſki.
Vzda.	Antonius Rawinſki.
Stołpce.	PP. Ord. Prædicatorum.
Puchowicze.	Nicolaus Przeradowſki. C. S.

Decanatus. Radoſzkowienſis.

Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.

Radoſzkowicze.	Simon Głuchowſki. *Qui & Decanus.*
Zaſław.	Bartholomæus Bucholtz.
Łokoyſk.	Georgius Matulewicz.
Hayno.	Perilluſtris Andreas Wołodkowicz C: Vilnenſis.
Korżeń.	Andreas Kalinowſki.
Ziembiń.	PP. Ord. Prædicatorum.

Cho-

Chotaiewicze.	PP. Ord. Prædicatorum.
Illa.	Georgius Łyntupſki.
Lebiedziow.	Boguſlaus Kamiński.
Altaria.	Idem.
Horodziłow.	Ioannes Kocieł. C: S:
Hruzdow.	*Vacat.*
Chożowa.	Iacobus Moſarſki.
Kraſneſioło.	Stephanus Woynowſki.

Decanatus. Bobruyſcenſis

Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.

Bobruyſk.	Illuſtriſſimus Ludovicus Ogińſki Nomin. Epp9 Smol.
Hłuſk.	PP. Ord. S. Franc: min. de obſer
Strzeſzyn.	Capella VV: Capituli Cath. Viln.
Rzeczyca.	PP. Ord. Prædicatorum.
Homel.	Benedictus Chanecki.
Możyr.	Simon Puciata.
Petrykow.	Thomas Szylańſki *qui & Decanus.*
Dawidgrodek.	*Vacat.*
Cimkowicze	Georgius Xau: Ceprińſki Ciekawy.
Słuck.	Petrus Sławkowſki.
Altaria 1.	Ioannes Doynowſki.
Altaria 2.	Konarſki.
Kopyl.	*Filia,* Michäel Duſzewſki. *Commend:*
Altariæ 2.	*Vacant.*
Bohuſzewicze.	Ioannes Drowdwił.
Berezyna.	*Vacat.*

Decanatus.	Auguſtovienſis *Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.*
Auguſtow.	Ioannes Sliżewſki.
Grabowo.	Chriſtophorus Kramkowſki.
Barglow.	Idem.
Raygrod.	Paulus Chroſtowſki *Decanus.*
Goniądz.	Andreas Lewicki.
Præpoſitura Hoſpitalis ibidem.	Ioannes Iaworowſki.
Trzćiana.	Illuſtris Simon Furs. C. Uladiſlau:
Dobrzyniewo.	Ioannes Chryſoſthomus Bogucki C: *Livon.*
Iaſionowka.	Paulus Pienkowſki.
Brzozowa *maior.*	Valentinus Kramkowſki.
Brzozowa *minor.*	*Idem Sacramenta adminiſtrat.*
Doliſtow..	Ioannes Kiełłpſz.
Altariá.	Matthæus Perkowſki.

Decanatus	Knyſzynenſis *Illuſtris Decanus & A. RR. DD. Parochi.*
Kalinowka.	Valentinus Kramkowſki.
Knyſzyn.	Stephanus Baranowſki.
Altaria.	Gołębiewſki.

Chorofzcza.	PP. Ord. Prædicatorum.
Niewodnica.	Ioannes Iofephus Sawicki.
Turofnia.	Valentinus Zaremba.
Iuchnowiec.	Ioannes Mickiewicz.
Zabłudow.	Andreas Zaykowfki.
Białyftok.	Sebaftianus Wrzofzkiewicz.
Wafilkow.	Mathias Popławfki.
Korycin.	Francifcus Lubońfki *Decanus*.
Chodorowka	Simon Mokrzecki. *Præpof: Tyczyn:*



Eremi Camaldulensium Eremi Insulae Vigrensis